K
27,606/A
14/4/31
C II
17/5

London Society
for
Promoting Christianity
amongst
The Jews.

16, Lincoln's Inn Fields.

£43
H.U.d.
HARDT,

58684

Hodgson
30/3/46

4/b/84
C.

38684

OFFICIA JUDÆORUM ANTELUCANA

Pro Sanitate & Studiis.
Ex Canonico illorum Jure.
Junctо
in gratiam Studiosorum

Inclyti Philosophi & Medici

JOH. JACOBI SCHARANDÆI

Solodorensis

De ratione conservandæ Sanitatis

pulchello libro.

Recensente

Herm. von der Hardt.

Helmstadi,

Typis Georgii Wolffgangi Hammii,
Acad. Typogr.
A. MDCCVI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Erudito Lectori S.

Vix *nata* nuper inter Christianos, *seculo a nato Christo decimo sexto, Fontium sacrorum, Hebraicorum inprimis, studia.* Absque his, quis diffiteatur? res nostra sacra non constat. Hi peritiæ religiosæ fontes, hæc fidei fundamenta, hæc spei principia, hæc adversus quorumcunque insultus invicta munimenta. Hoc, quis neget? mentis lumen, pectoris præsidium, hæc virtutis norma. Hoc penetrans, pro fatis, remedium, salubre in prosperis consilium,

ſilium, dulce in adverſis ſolatium. Hi puriſſimi, dulciſſimi, ſaluberrimi, inexhauſti fontes. Hæc ſacræ veritatis origo, & una ſalutis ſcaturigo. Omnes rivi, quantumcunque fontibus ampliores, diffuſiores, copioſiores, & pelagis ſimillimi, tanto minus ſapiunt, quanto longius a fontibus remoti. Dabimus proinde, Chriſtiani, divinæ hoc inexplicabili gratiæ, quod *ſeris his ſeculis* Hebræos tandem fontes attingere datum ſit, quos nec videre majoribus contigerat. Mirabimur, nec immerito, quandam *cœleſtis providentiæ tarditatem*, quæ *quindecim ſeculis*, Europæis nobis, ipſisque Germanis, univerſæ hoc ſalutis principium, niſi *verſionibus*, non indulſerit, tanto tempore negaſſe viſa.

Per-

Perpauci quippe, ipſisq; primis ſeculis, Patres, quibus vel viſi, vel delecti, & guſtati ſint ſacri fontes Hebræi, ſi ad ingentem reliquorum, qui ignorarunt, componantur numerum, nulli dicendi. Tam rari illi, vix unus alterque; Græci aut Romani, Judaicarum rerum inexperti. A ſeculo quinto ultra decimum quintum, pauciores profecto, in ſinu præſertim Germanorum, nec fere niſi e Judæorum caſtris ad nos digreſſi. Nunc demum, *tam ſero*, non mille ſed prope bis mille annis elapſis, *a decimi ſexti ſeculi exordio*, vel oculis vel manibus noſtris exhibeantur? Quis Numinis ſupremi in *ſera* hac *indulgentia* conſilium ſcrutabitur? Neque vero fas eſt, hæc fata a nobis negligi, qui ex genti-

bus ſumus oriundi. Nefas profecto, hic in diem vivere, nec, quibus præ noſtris proavis fruamur opibus, conſiderare. Negligentia peccamus, qui divinæ providentiæ veſtigia & in hoc Dei beneficio non inſpicimus. Quindecim ſeculis, ſolis & nudis *verſionibus*, uſi, nixi, fiſi, Europæi, noſtrique Germani: Iisque profecto tam luxatis, tam diſtortis ſæpe, ut nec color eſſet originis. Ergone ſua culpa, ſua ſomnolentia, ſua negligentia aut incuria, peccavere tot ſeculis, qui nullo modo Fontes quærerent, rivulis quibuscunque contenti? An vero, illis quomodocunque excuſatis, divino recondito dabimus arbitrio? Noluiſſe Deum prius? Quid ſi? Hæccine vero nimis *tar-*

da

da in nos ex gentibus converſos divina *gratia?* Tam vaſto ſeculorum ambitu ex gentibus factos Chriſtianos non habere, non videre, non noſſe, non capere, unde nata ipſorum ſalus? Tantamne *moram* Dei ferat miſericordia? Ergo prius non indulgeret vel donaret, unde gratiam vere cognoſceremus? Quæ hæc, noſtro judicio, ut ſumus homines, divinæ *benignitatis tarditas?* Seneſcente, ut ajunt, mundo, emergere apud nos, unde vita naſcitur? Decrepita temporum ætate, nobis dari, unde vires & vigor proveniunt? In fine obtineri, quod vitæ ſit initium & alimentum? Dum pene fuimus, obtingere unde ſumus facti? Filius parentem ante non videat, nec filia matrem, nec

illorum conſpectu gaudeant, quam in lethali lecto? Hiccine Dei erga nos, gentiles converſos, amor, *differre in obitum paternæ gratiæ teſſeram*? Quis divini Numinis mentem & de nobis ſententiam definiat? Nos dies metimur, inquis, numeramus: Et mille anni Deo ſunt dies unus. Sunt dies; profecto noſtris longior, nobis admodum longus, cujus nemo finem videat, quem nemo vivat. Quidni Dei hæc *tarda*, vel uno ſed *longo die dilata benignitas*, nimis *lenta nobis videatur gratia*? Verum, hic ſatius, coram præſentis ſummi Numinis throno humillime proſterni, & inſcrutabilis voluntatis decretum devote venerari. Ita eveniſſe nobis, ſatis eſto. Deo ita viſum ſapientiſſimo, omnium

mnium rerum arbitro. Noſtrum eſt, Dei inſcrutabile de nobis ex gentilibus ortis conſilium neſcire, admirari, non rimari. In Deo nulla mora, nullus temporis fluxus, nulla tarditas, nulla feſtinatio, omnia Deo præſentia. Homines nos eſſe meminiſſe oportet, qui non conſilium, ſed effectum aut opus Dei inſpicere juſſi. Nec ſervus de heri ſui mente judicet, quare hoc, illud, agat, quare differat, quod ipſi accelerandum videretur. Hero ſuæ ſunt rationes, quas ſervus ignorat & ignorare debet. Satis ſervo, videre, dum efficit herus, quod, & quando ipſi conſultum viſum. Et ab Adamo uſque ad Servatoris ortum *quatuor mille anni*, ineffabili temporum tractu, lapſi.

Hæccine mora nobis nimis videatur *longa?* At vix illi quatuor dies, ipsis Judæorum sapientibus testibus. Quis vero moræ, ut æstimamus, ut numeramus, rationem penetrabit? Tantone *quadraginta seculorum fluxu* intra exiguos Judæorum ferme cancellos sincera Dei hæreat cognitio, salutis mysterium? Myriadum myriades gentium, extra illa Judæorum septa, abeant, tot seculorum abysso absorpti? Ergone prius, ergone citius, ergone maturius servandi, liberandi? Et id quidem ad nostræ quoque spectat Europæ cultores, nostrosmet majores, qui ante natum Christum sub hoc cœlo vixerunt, floruerunt, si vixisse dicendi, si flos sit sine Deo. Abrahamo promissa regio, nec data,

ta, nisi a *quatuor seculis*. *Longa promissionis dilatio*, intolerabilis, in undis Nili natantibus, & furno Ægypti æstuantibus posteris. Et posteritas, tandem ex Nili & maris rubri fluctibus servata, in sedes proprias commeatura, non biennii *iter*, sed longissimum *quadraginta annorum* conficere jussa. *Morulæ* profecto, *quæ vitam & patientiam absorberent*.

Servatore nato, Apostolis constitutis, quot abiere, non dies sed anni, quando vix unus Cornelius, ex gentilium innumerabili caterva in Ecclesiæ gremium admissus, &, quando Saulus in Paulum, pro gentibus convertendis versus? Quæ obsecro *annorum mora*, donec Petrum cum ceteris in Hierosolymi-

tano

tano Concilio, in gentilium convertendorum ſalutem & ægre conſentire divina conceſſit providentia? Quantus etiam, a cæſo per Judæos Servatore, uſque ad lentam in excidio urbis & gentis vindictam, *quadraginta annorum tractus?* Quam tenax Evangelii & ſalutaris nuncii *per octo pene ſecula ſerpens mora*, ab Apoſtolorum obitu, ad Caroli Magni ortum, pro noſtra qualicunque in his terris luce, aut diluculi umbella? *Mille* poſt hæc iterum tranſivere, evanuere, evaſere *anni*, uſque ad noſtra hæc tempora, quibus *religioſiſſimi ſacri fontes* tandem aliquando noſtris oblati oculis, manibus, labris, linguisque. Nunc tandem *linguæ* nobis creatæ, linguæ *Prophetarum* monſtratæ, ut

elo-

eloqui inter nos vel poſſint vel velint, *ter mille annis vel ſopiti vel defuncti*, divinæ mentis interpretes, vetera ſua cœleſtia de noſtra ſalute oracula. Nemo tam ſit oculatus, qui pervideat, quid Deum moverit, quare *tam ſero*, effœta propemodum orbis ætate, in gentium harundem oculis comparere, a nobis conſpici, genuinos illos vitæ fontes decreverit. Adorabimus *admodum lentam* Dei *gratiam*, in noſtra & poſterorum tempora ſervatam, dabimusque ſuperiorem *prælongam moram* occultæ divinæ longanimitati, quæ Fontium uſum, ſuperiori ætati non congruum, nec aptum, nec, pro temporum ex gentilismo barbarie, veteris cultus caligine, avito mentium faſcino, dignum aut fortunatum

tum judicavit. Ea namque pectoris & mentis humanæ est tenacitas, ut saluberrima non admittat, quin respuat & pessundet, dum consuetudo pravis accessit. Nec æger oculus videt, nec nodosa manus prehendit. *Lento* multorum seculorum *labore* opus esse videt Deus, ne subito oblatæ præstantissimæ opes, sed alienæ, abjiciantur & conspuantur aut conculcentur temere, dum prorsus ignotæ. Corrigit Deus *sensim* temporum imbecillitatem, judicii infirmitatem, & pectorum ex consuetudine duritiem.

Ipsimet nos, at qui obsecro homunciones? *non momento* emendamur singuli, *non uno impetu* sapimus, multo cum damno sapere discimus, & vix ac ne vix quidem. Totum

popu-

populum, magnum gregem, gentem, nationem, orbem, in alium melioremque habitum commutari, in ſaniorem ſententiam, pro divino conſilio, molliter derivari, quod ſibi non vindicet tempus? Obſtinata, & non malitiâ ſed negligentiâ obdurata conſuetudo *ſubitum non fert remedium.* Difficulter cedit. *Reuchlinus*, fumo tandem pulſo, lucem Fontium vix monſtraverat, quando fumus ipſi ex incendio paratus. Vix *Hebraïs* fontibus agnitis, *Chaldaica*, ſubnaſcentia, ipſis etiam Fontium Hebraicorum conſultis tam viſa moleſta aut inimica, ut pro illa ætate boni viri conqueri non vererentur, his uſi pro ſeculi genio formulis, impatientiæ teſſeris: Græca ferenda,

He-

Hebræa toleranda, ſed Chaldaica in Eccleſiam transferri, hoc aliquid nimis. Quamobrem, & Chaldaicis tandem admiſſis & excultis, viſum ſapienti Deo *Syriacum Novum Teſtamentum*, Europæ nunquam antea publice viſum, quanto minus agnitum, *differre in obitum* ſenum, ne nimia beneficia inexpertis oneri magis forent quam uſui. Quo pacto diu ab obitu Lutheri, Anno MDLV, *admodum lento gradu*, Europæorum fidei, Ferdinandi Cæſaris gratia & præſidio, fuit commiſſum. Serius *Arabica* Germanis innotuere, ſine quibus Hebræorum monumenta Sinaicis vepribus obſita, Moſe in Arabico deſerto, nobis minus familiari, hærente.

Hujus

Hujus proinde *occultæ providentiæ divinæ*, *noſtro ſenſu lento motu* progredientis *veſtigia* devote contemplantes, majoribus beatiores, noſtris jam læti utemur, & non partis ſed donatis opibus fruemur. Quanquam verò *non ſimul ac ſemel*, vix monſtrati, jam ſint exhauſti Fontes: Sufficit, agnitos nunc eſſe, aditu ad illos omnibus nobis indulto. Prima hæc ſerenior ætas *nec* ſibi *celeriora* promittat ſuæ felicitatis *incrementa*. *Verſionibus*, Moſis & Prophetarum, formandis, reformandis, redintegrandis, purgandis, emendandis, gemino hoc inſudatum ſeculo, idem diu multumque agetur a poſteris. Interea *diverticulum* novis his ſtudiorum fatis divinitus deſtinatum, ut *gentis*, inter nos palantis, unde Fontes ſacros ſumus

 nacti,

nacti, *res antiquæ & recentes* perve-
ſtigentur. Nec enim ſine cauſa *tam*
longo ſeculorum intervallo veteris po-
puli Judaici reliquiæ, nepotesve, intra
Europæ ipſiusque Germaniæ mœnia
divinâ indulgentiâ ſervantur. Nec
ſine cœleſti nutu, Chriſtianarum li-
terarum & artium occaſione & ope,
ſuas nunc res ſcriptis & monumen-
tis uberius exponunt, quàm un-
quam aliàs. Noſtræ profecto omnia
ſerviunt notitiæ, noſtris uſibus. Di-
vino conſilio nobis hæc pandere juſ-
ſi! Noſtri & hac re ſervi. Ut co-
gnitis plenius & exactius priſcis &
recentioribus hoſtium noſtrorum
rebus, rectius de antiquiſſimis Moſa-
icis & Propheticis voluminibus ju-
dicium ferre poſſimus, moribus hu-
jus reſidui & palabundi gregis prob-
perſpectis, & avito genio, a Moſ-

& Prophetis damnato, agnito & obſervato. Oberrant in oculis noſtris umbræ, ut errorem illorum veterem coram videamus, & in ſacris Prophetarum libellis deploratum diſtinctius agnoſcamus. Ut & penetrari ſic felicius poſſit dira & longa *Pauli in Judæos invectiva*, flagrantiſſimâ & profundiſſimâ epiſtolâ ad Romanos comprehenſa. Quod nemo hactenus extiterit in Chriſtianorum choro, qui profundius excuſſerit, animoſius ventilaverit, vehementius exagitaverit, acerbius examinaverit, & ſolidius refutaverit univerſam Judæorum rem, Paulo, noſtro, gentilium, *contra Judæos*, propugnatore acerrimo, veritatis Chriſtianæ vindice invicto. Profecto, *in Judæos* nemo unquam ſcripſerit nervoſius, plenius, penetran-

tius, verius, & dilucidius, Paulo, noſtro quidem Apoſtolo, & incomparabili laudato libello, noſtro nomine, pro noſtra ſalute, *contra Judæos* exarato. Quamobrem *Judæorum res perveſtigare* divinâ his temporibus datum providentiâ, partim, ut antiquus eorum habitus & fortuna obſerventur, partim, an recens eorum genius cum priſco congruat, an, & quibus momentis, abeat, vel deterior, dignoſcatur. Intereſt rerum noſtrarum, hæc curate ſcire. Nec enim eadem omni ævo ejusdem populi facies. Cum tempore vel mitior evadit gens, & humanior, vel cautior & callidior, vel rudior & horridior. Nunc, pro fatis, hæc, nunc alia apud ipſos de ſuismet rebus ſententia. Ut ſecula mores formant ſubinde novos, nova dant

consilia, molliora vel asperiora, animum vel subigunt vel extollunt. Ut fortuna mentes trahit, hac illac, eisq; futurorum spem formant. Habebunt hac in re nostra & vicina secula abunde quod agant, donec his qualitercunque exploratis ultra ad celsiores Prophetarum choros progredi detur. Et hic *gradu* profecto *lento* itur. Quoniam studia non seliguntur, nisi a perpaucis, sed ut incidunt apprehenduntur, indeque vel frigide postea tenentur, vel obiter versantur, sine incrementis. Imo sæpe contra ingenii indolem vel arripiuntur vel occupantur, ut tempus, vel *magna seculi pars* fluat, sine profectu aut emolumento. Ut non sit mirum, & *secula interdum effluere* sine singulari artium augmento vel luce.

Præcipue, quod ſtudiorum non poſtrema pars ad rem ſe componat privatam, ad cujus nutum vel jaceant, vel ſurgant, vel creſcant. Mentis & ingenii negotia & tempeſtatibus ſerviunt. Nubilum non amant ſed ſerenum aerem. Silent, dum hyemat, quieſcunt, dum æſtuat. Temperiem fati, poſtulant. Non rugas pleraque ſed frontem volunt exporrectam. Imbres non ferunt: Fulmina horrent. Sunt delicata, quis neget? Quæ molliſſimo ſexu ſint teneriora. Quanquam enim virorum ſint, quibus maſcula vis congenita, qui nil fugiant aſperi, qui nullis frangantur tædiis, ad mentem tamen in viris pertinent. Mente vero humana quid tenerius, quid mollius, quid gracilius, quid ſenſibilius? Momento

to totum afficiat vel fortissimi viri corpus levissima mentis commotio, vel subtilissimus quisque affectus. Sanguinem non tangit, sed rapit, sed rotat & in gyrum agit omnem in toto corpore, mentis vel tenuissima affectio. Tam tenera & mollicula mens, ut vel exilis vocula quatiat & convellat. Studia proinde cum mentis res sint, in cujus officina formentur, illâ indignante, illa hæsitante, illa renuente, nil agitur, nil promovetur, quiescitur, dormitur, somniatur, & non nisi umbra gignitur. At, quam facile, mille quotidie casibus, mens afficiatur? Ut vel deserat mox, vel abjiciat, vel dissimulet, quod cordi fuerat. Unde est, quod, vel divino indultu, vel judicio, *secula abeant*, ante, quam vel levis sæpe res recte conficiatur, quæ ab ingenio pendet. Ut appareat fere, Numen cœleste, cui humani pectoris indoles

penitus cognita, in *longas plerumque ſeculorum ambages*, artes non alioquin difficiles, donec perficiantur, *differre*. Ut ſemper ſit, quo ætas protrahatur, & diducatur, quo ſeculorum venturorum ſpes maneat & deſiderium creſcat. Quam fortunam & tenerrima *philologia* experitur, quæ tanto *longiora* poſtulat *tempora*, quanto *cultura illius diutius dilata & ſerius inchoata*. Quæ adeo his ſeculis geminis vix ac ne vix quidem nata, admodum *moderato & prægravi* procedit *greſſu*. Millies molliuscula hæret, tanto circumſpectior, quanto via aſperior & contumacior. Neq; ætatem metuit delicata, tanto futura formoſior, quanto ætate gravior, quæ vitam non ex annorum numero metitur; tanto vegetior, tanto robuſtior, quanto provectior. Creſcit, in futuri longi temporis ſpem, in ſeræ poſteritatis voluptatem, in abnepotum gaudium, in memoriæ

moriæ indelebilis expectationem. Nec mortem formidat, nisi cum universi machina. Motu cum die contendit, aut diei moderatore, constantissimo sole. *Philologia* quippe, ut extera, *omnium* in toto orbe *autorum*, ita & sacra sacrorum *lumen* est, sine quo meræ in omni scriptorum genere regnent tenebræ. Uti adeo autorum legendorum in orbe non erit finis, nisi cum ipso orbis fine, ita & tantæ rei præsidium ex philologia immortale. Idque pro majori sacratioris philologiæ gloria, quæ tanto habebitur perennior, quanto sublimiores autores sacri, quanto celsiora illorum argumenta, quæ finem nesciunt seculorum, a quibus cœli pendent, quibus tellus nititur, & abyssus constat. Quamobrem, quæ *nuper demum* per Reuchlinum, per nebulam ac per velut per fumum monstrata, eundo crescet, & crescendi finem

finem non habebit, dum ſcribendi & libros condendi non erit finis, imo, dum Prophetarum veterum ſacerrimorum autorum nomen in orbe feretur, eorumque monumenta in oculis erunt.

Quin ergo & noſtram, quibus & hoc ſaxum volvere contigit, tenuem licet, pro hac tempeſtate, opellam impendamus, Judaicis rebus, veteribus & nuperis, eruderandis aut illuſtrandis. Intelligimus ſatis, quam exilia hæc ſint, majoribus comparanda, neque ipſos hæc attingunt Fontes, illuſtratu digniores. Verum, dandum & hoc tempori & ſeculo. Maturitatem ævi poſtulat Moſes majorem. Nec in montem Sinai ſcanditur, vepribus ad radicem non ſuperatis. Nec per nubes penetratur ad Moſen, niſi aſſurgatur altius. In imis adhuc hærendum glebis. Nec quosvis tulit in vertice, paucos acci-

accivit. Repemus itaque tantisper in desertis, inter saxa, in sabulo & saburra, in dumis, aut cum oviculis Mosis in pede montis. Alia tempora viam aliis vel monstrabunt, vel concedent, ultra pergendi, nubes contemplandi, quibus cinctus Moses, eumque fantem audiendi. *Officia* hodiernorum in exilio *Iudæorum antelucana*, quia diem ab ortu solis non illi, sed nos ordimur, leviter nunc delineavimus, ut appareat, quid agant, quidve a politioribus gentibus meliusq; moratis discant, quam exilii calamitati *morum qualicunque honestate* consulere laborent: Ad *sanitatem* inprimis & *studia*, quanta contentione, pro exilii morbis & ignorantia propulsandis, suos invitent. Quod cum non injucundum plane nec emolumento suo destitutum sit, placuit, *pro uberiori Studiosorum Academicorum commodo*, præclarum inclyti quondam viri *Joh. Jacobi Scharandæi*,

randæi, Philoſophi & Medici præſtantis, & nobile opuſculum *De Conſervanda ſanitate*, jungere: Ex quo hauriant, dum literis operam navant, quod corpori non minus ac ingenio profit, qui tanto ſint máneantque promptiores ad ſtudia atque vegetiores, quanto cautiores & *valetudinis conſervatæ ſtudioſiores*. Ingenium ſiquidem plurimum a corpore trahit. Valet corpus, valet mens, valet ingenium. Illo labante, hoc vacillat & laborat. Mutua ſe complectuntur benevolentia, mutuis humanitatis officiis ſe proſequuntur, & reciprocis gaudent beneficiis. Dandum itaque & hoc officiolum ſtudioſis, qui, dum ſui commonentur officii, ad *dignam ſui curam* excitentur, ne literis, ingenio, eruditioni, dignæque virtuti obſint, non tam animi pravitate, quam imprudentia ac exemplorum temeritate. Fruantur adjumentis his tenuiculis philologiæ cultores, pro alendo roborandoque ingenio, ut *ſolertem ſui curam* habentes vivant, egregios facturi profectus.

Scr. A. MDCCVI. d. 18. Febr.
die Concordiæ.

Magnâ ConCordIa reſtaVratâ.

HERMANNVS
von der Hardt/ P.P.

Philologis Judaicarum rerum scrutatoribus imperterritis.

AEnigmata Judæorum, in abſtruſis amuletorum cancellis latitantia, & impenetrabilibus vulgo labyrinthis circumſepta & clauſa, eruimus ſuperiori æſtu, non ſine calore, tametſi ſine ſanguine. Animus erat, integram, decoram, ſpectabilem amuletorum faciem, quæ oculos mirifice oblectet, & ſtylo porro delineare, & cælo effigiare, qui tecta duntaxat ænigmata ex illorum angulis & latibulis produxeramus. Veruntamen, remiſſior & frigidior hæc tempeſtas ſudorem non fert, nec brumæ umbra perreptandis illis clauſtris locum concedit. Dandum interea & a nobis aliquid tempori. Severis illis ſtudiis mitiora quoque miſcenda. Nec enim in abyſſum ſemper deſcendendum, ex averno evocanda diu ſepulta, ex fundo producenda ſtudiò â majoribus occultata. Nec opus ſcire univerſa quæ latent. Ignorare ſalu-

brius, neſcire jucundius. In luce communi verſandum frequentius, confabulandum populariter, colludendum lepidule, jocandum interdum ſine ſeveritate, nec ſine ſale. Quidni ergo ſeverioribus illis ænigmatum examinibus, & antiquitatum exeſarum terriculamentis jucundiores ſubjungamus Judæorum ſcenas? Latebris igitur iſtis nunc tantisper diſſimulatis, ad apertius Judaicæ gentis forum, ad Synagogam, hac hyeme commeabimus, *Jus* eorundem *Canonicum* iterum ſalutaturi. In his ſacris attigimus, ante annos, retectos *circumciſionis* loculos, utpotè qui primos gentis characteres referant. A reſecto iſthoc naturæ vitio, Judæis moleſto, ad honeſta illorum *officia* jam contendemus. Et inchoabimus quidem à *prima aurora*, ut quid toto die efficere & obſervare teneantur, patefiat. Sordere & olere Judæos exiſtimamus, quos vel obiter hispidum illorum os terruit, vel qui exolidis noſtris Commentariis hauſimus quod oleat, quodve Judæis temere & per ignorantiam ſit affrictum. Plerique enim quod nec ſenſibus nec mente aſſequuntur, quod captum ſuperat, ex graveolente ſuo metiuntur cerebro. Peregrina pere-

grin-

grino & adverſo ægroque animo verſant, & quod ſuis non congruit moribus, tetrici averſantur. Dandum hoc imperitiæ & imbecillitati humanæ. Homines ſunt & Judæi, & humani nihil â ſe in ipſo hoc exilio alienum putant: Nec nos ſane putabimus, elegantuli, comtuli, munduli. In carcere quid nitor, quid mundus? In exilio duo millium prope annorum, ſi ab antiqua dignitate oris & frontis degenerasſe videantur, dandum hoc divinæ juſtitiæ & ſeveritati, cavendumque, ne haud diſparem pœnam Deus ſumat & ab aliis quibuscunque, divinâ gratiâ abuſis. Illi Pauli teſtimonio in oculis noſtris oberrant, teſtes ſuæ quondam impœnitentiæ, ſui præfracti animi. Nos monent, nos terrent, ſuo vultu, ſuis rugis, ſuo neglectu, ſuo contemtu, ſuis ſordibus, qui divinam gratiam teneamus cautius, & fruamur conſtantius. Illi deliquerunt, monſtra hominum facti inter nos quondam gentiles, illi terriculamenta publica, ex oriente ad nos advecta, ut ex illis exemplum ſumamus irrefragabile. Illi iræ divinæ monumenta, quam caveamus, noſtraque virtute & ſinceritate avertamus. Qui ſapit, judæum tanquam ſpeculum intuetur,

ex quo ſumat, quod ex uſu ſiet. Felices habemus illos, quos faciunt aliena pericula cautos. Nihil nobis, ex gentilibus oriundis, plus juris, ac illis, Paulo interprete, Rom. XI. Judæum intueri, profecto divini beneficii loco habere debebamus, ex quo non ſolùm vivum rerum veterum teſtimonium capiamus, ſed & divinæ gratiæ intervalla, juſtæque pœnæ menſuram ſpectemus. Neque eousque deſertos in hoc vaſto exilii deſerto putabimus, ut humanitatem omnem exuerint, obbrutuerint penitus, nihil nobiſcum vel judicii vel mentis commune habentes. Homines ſunt, & docti inter illos non pauci vivunt, & virtutis nec inſcii nec expertes omnino. Superamus illos ultra fidem longis paraſangis, fatendum, artium & ſcientiarum multitudine, decore, & exactius omnia ſcimus. Sed nec ingenio carere deprehendentur illi; nec artibus omnino deſtituti. Officiorum certe humanorum, morumve rationem æque habent ſollicite ſcriptores, illorumve doctores, ac gentilium philoſophi. Hos quoque non reſpuunt peritiores, quin legunt & collaudant, ſi non æmulantur. Certe ex domeſticis ſuis autoribus, longa majorum ſerie, Prophetarum ſchola, tantum

tum habent harum rerum, quantum ratio gentibus dictavit. Ordinem, amplitudinem, dicendi copiam, vel ex philosophorum scholis, vel ex suo ingenio adjecere. Unde moralium doctores, nec ineruditi, nec incomti, nec steriles, apud Judæos hodie, nec rari. Scelerum colluvies in unius atque alterius sceleſti gremio, moratorum indolem non eluit. Sicuti nec inter nos unius sceleſti facinora & propudiosa vita virtutum omnium apud omnes exilium vehunt. Et optimi viri inter Græcos, Romanos, mistis sceleratis: Nec Judæos inferiores æstimabimus gentilibus, si non ex sacrorum reliquiis meliores. Nobis certe satis, illorum beneficio nos fortunatiores, forte & prudentiores, certe beatiores illis. Illi spreverunt, quo nos fruimur. Sed & habent, quæ nos ab illis nacti. Fontium incomparabile, inæstimabile, inenarrabile beneficium. Hoc superbimus, jure meritoque, illorum tamen munere. Vel hoc officio nobis cari. Qui sacra ab ipsis accepimus volumina, non aspernabimur & cetera eorum monumenta literaria, diversi licet ab illis ponderis & pretii. Gentilium non despicimus scripta, nec Judæorum despuere par

eſt. Par ratio. Imo horum melior conditio, qui melius de Deo ſentire docti: Quippe a majoribus Deo proximis potiora indepti. No *proximis menſibus*, ſerenioribus ac ſuavioribus rerum Judaicarum partibus invigilaturi, ut hyemis aſperitas ſtudiorum ſuavitate temperetur, *Juris Judæorum Canonici* veſtibulum calcabimus, & quæ *prima officia* Judæis præſcribantur diſpiciemus. Et quidem primum *officia Judæorum antelucana, pro honeſtate & ſanitate conſervandâ*, contemplabimur. Neque vero Volumina Maimonidis, R. Joſeph Karo, R. Mardochai Japhe, R. Schmuel, R. Jizchak Abuhab, & Gloſſatorum, expilabimus, ut chartas expleamus, tempus oculosque lectorum fallentes, ſed quam fieri poteſt brevibus omnia complectemur, compendiorum in vitæ brevitate & ſtudiorum ambagibus amantiſſimi. Quæ ars, artem vitæ attemperandi, brevitateque diffuſam diſciplinæ molem condiendi, nec Judæis ignota; Qui & ſui *Canonici Juris* perquam ſcita & nervoſa his annis edidere *Compendia*. In quibus eſt elegans ſane *Epitome* laudati *Canonici Judæorum Juris*, quoad anniverſaria officia, autore R. David Pardo, quæ Londini genita, Amſtelo-

ſtelodami lucem vidit A. 1685. Synagogæ Londinenſis Præſidibus inſcripta, & autoritate Amſtelodamenſium Synagogarum, Luſitanicæ & Germanicæ, munita. Similis Exegeſis, pauloque uberior, R. Jehudæ Leonis, quem illi Leib vocant, quæ nuper A. 1691. in vicina Franconia Furtæ nata. Utraque aptiſſimâ minuta formâ edita, utraque, vel alterutra, digna, quæ Studioſorum manibus diligenter volvatur, unde quicquid toto die, integro anno, pro omnis generis fatis officii, breviter admodum & luculenter cognoſci poſſit. Ne quoque Auditorum manus laſſemus calamosque intempeſtive fatigemus, temporis inæſtimabile pretium & perditi irreparabile damnum ſuadent. Typis perbreves dabimus *Diſſertationes*, dicendorum ſummam: Ut ſit in oculis manibusque, quod publica illuſtrandum oratione. Studioſorum commodis hoc debemus, quorum ſaluti & nati & conſtituti ſumus. P. P. in Acad. Julia, A. M DCCV. d. 3. Octobr.

DISSERTATIO I.

In Jus Judæorum Canonicum.

מנשה

MANASSES IN VINCVLIS.

Judæos in exilio Canonum esse tenacissimos.

Ma-

MAnaſſen in exilii Babylonici vinculis precantem merito in oculis habemus, qui *Juris Judæorum canonici* lineas ducimus, & illos præcipue nunc ſiſtemus canones, ac demonſtrabimus ceremonias & vincula, quibus *Judæi orantes* & in exilio hoc ſemper ſunt devincti. In quibus vinculis,& vel exilibus filis, vel funeſtis funibus, ſunt CHAGORA, TALLITH KATON, TALLIT GADOL, ZIZITH, TPHILLIN SCHELROSCH, TPHILLIN SCHEL JAD, & qui multi arctique his ſunt implexi nodi. Quibus triſti omine, *in diuturna hac captivitate*, quaſi perpteuo conſtrictos adeoque *in vinculis detentos* ſervos, coram Deo & hominibus flebili aſpectu ſe quotidie inter lacrymas ſiſtunt. In quibus nodoſis loris, longis adſtrigmentis, arctis vinculis, circumfluentibus velaminibus & peplis incompoſitis, potiſſima *cultus* judaici *vere ſervilis* poſita hodie eſt gloria, nixa veteri autoritate Talmudis, novaq; Maimonidis, Rabbi Joſeph Karo & ſequentium mille

mille doctorum, qui ſagaces inter illos Canoniſtæ, morumque Judaicorum moderatores ſeveri, majorum ſtatuta novis decretis pro re nata circumſcribunt, & vel exaſperant, vel emolliunt, non parvis *Novellarum* voluminibus ſuperbientes.

Antiquorum verò rituum & ſtatutorum canonumve ſacrorum tenaciſſimi ſunt Judæi, ubicunq; terrarum in exilio degant.

Omnes quidem homines *naturâ* ſenſibus magis quam ratione ducti, feruntur *in externas & conſpicuas ſpectabiles ceremonias*; Ut illis etiam nullus omnino carere poſſit cœtus, ne ſine limitibus exorbitet ſollicite muniendus. Quæ cauſa, quare ceremoniarum teſſeræ aliquæ ſemper ſancte retineantur, de novo conſtituantur, aut inflectantur, pro conditione temporum varia. *Judæi* tamen præ omnibus aliis gentibus *priſcos ſuos ritus & vivendi modos mordicus tenent.*

Cujus ſingularis *tenacitatis* ac in judæis pertinacis conſtantiæ ratio haud poſtrema eſt *ferventior judaicæ gentis natura.* Populus enim judaicus, in Aſia & Africa, inter urentes cepas & allia, in ſolis fervore,

in corporum æstu prognatus, indolem & instinctum orientis nativum, *animorum æstum*, non potuit non semper in omni posteritate referre: Eandemque *naturæ æstuantioris vim*, in tam diuturno licet exilio, inter varias & remotiores in ipso occidente gentes nondum exuit. Pro *calidiori* igitur ac *sicciori corporum temperie*, ex cœlo sub quo nati judæi, calidiori & sicciori ingenita, pristinoque, qualicunque victu calidiore alta, *animos non tam habent in hunc usque diem mobiles*, & in quamcunque partem diffluentes, quam humidioris naturæ nostræque gentes. Uti ergo *affectibus* sunt *vehementiores* atque impetuosiores, ob calorem & sanguinis concitatiorem motum: Ita & *sententiam semel conceptam non facile mutant*. Hæc enim *animorum* varie compositorum *vis*, vel mobilior vel constantior, in civilibus non magis, promissis, contractibus, sententiis, consiliis, quam & in ceremoniis & sacris rebus, locum apud omnes habet homines. Quam ergo Judæi semel imbiberunt sententiam, & vel temere, vel ad præsidum mandatum assumserunt consuetudinem, bonam malamve, difficulter deserunt, & non sine sanguine linquunt. Hæc

Hæc frons æſtuans, pectusque tenax ex primis incunabulis emicuit. A primo exitu gentis judaicæ *ex Ægypti* furno, inter tam grandia & innumera prodigia, id efficere nullo modo & cœlo miſſus potuit *Moſes*, ſut idololatriam, uliginem, ex Ægypti camino advectam, cui erant in ſervitute aſſueti, ex animis judæorum uſtis evelleret, manibusque eorum fuliginoſis extorqueret. In ipſo ſane deſerto, ab Ægyptiorum aliorumque populorum ſacris remotiſſimi, reluctante ac prohibente & minis abſterrente Deo & Moſe, adduci non potuerunt ut ſua abjicerent idola. Nec undæ maris rubri cerebrum emollire, nec atrũ colorem, ſemel inter igne accitũs detergere potuerunt. Quam *prisci* inviſi & infauſti *cultus tenacitatem* Moſes vehementer & acerbe centies judæis exprobrare non intermiſit, dum fuit. Exod. 22. v. 22. Exod. 32. v. 9. Exod. 33. v. 3. 5 Exod. 34. v. 9. Deut. 32. 22. Animo indignabundo gentem dixit refractariam, contumacem, duræ cervicis, incorrigibilem, nullis flectendam monitis melioribus, ſed priſtinis pravisconſuetudinibus idololatricis, Deo adverſis, immoderate & immote adhærentem.

Eandem priſtinos mores tenendi *pertinaciam & Prophetæ* mille libris, mille orationibus, mille ſalſiſſimis & aculeatiſſimis, diviniſſimis carminibus continuò judæis objecerunt, & fruſtra eximere omni molimine ſtuduerunt. Tantique ex eorum æſtu radii effulgent, qui reconditas totius pene V. T. latebras illuſtrent, quando tam multis ſeculis, usque ad Aſſyriæ & Babylonis exilia, idololatriam quaſſarunt Moſes & Prophetæ, qui plus millies magno animi motu, inculcare & ingerere usque ad ſanguinem Judæis ſeriam fœdæ *idololatriæ fugam* allaborarunt. Quæ enim tenaciter hærent, radicata, non levi moventur brachio, ſed frequentiſſimo niſu, indeſinenter inſtando ac convellendo tentari atque eripi aut evelli debent. Quæ Moſis & Prophetarum molimina & divinus in pectus ferreum impetus, ex obſcuriſſimis alioquin in illorum ſcriptis adverſus Judæorum gentem & fortunam auguriis, figurarum prægrandium, quibus triſtem idololatriæ exitum pingerent & præaugurarentur, tenebris, clare perſpici & apertis oculis cum ſtupore pervideri queunt. Nec

ante

ante idolorũ amplexus missus, quam nervi exilio exhausti, brachia delassata & spiritus fracti. Tantæ molis fuit, armorum impetu animorum æstum extinguere.

Et â reditu ab exilio reliquus avitus cultus, corruptus licet, tanta tenacitate servat°, ut nec sanguine Messiæ elui concederent. Testes & mitissimi Apostoli, qui in suamet gente eandem jam olim notatam *duritiem atque populi pertinaciam* palam refricant & sine metu damnant. Hinc durum illud repetitum epitheton : σκληροτράχηλοι Act. 7. 51. *duræ cervicis*, halsstarrige / hartnäckige / apud quos nec precibus nec minis ad mutandam sententiam locus esset. Quæ pectoris Judaici incendia flammas magno zelo evomuerunt in eos, qui meliora suadere conarentur, quos igne, ferro, lapidibus, reprimere *furioso motu* soliti. Zelum, inquit ipse Paulus, & ipse primum Saulus fervidusq; Zelotes, Judæi habent pro religione, sed sine scientia. Qui insitus Judæis calor ex tota *Zelotarum historia* suam accipit lucem.

Nec postrema Hierosolymæ & templi rudera flammas in pectore extinxerunt. Quin & reliquiæ tenacitatis & fervoris

Judaici conſpicuæ *in primis Chriſtianis, ex judæis converſis*, qui, etſi Jeſum eſſe Meſſiam difficulter licet agnoſcerent, ritus tamen Moſaicos non mittendos, non convellendos, non mutandos, ſed conſtanter retinendos putarent, adeoque gentiles, â moribus ſuis avitis alienos, ſuæ ad communionem fidei nequaquam admittendos cenſerent, ſine proſelytarum admisſis ritibus atque longis & tædioſis legum Moſaicarum ambagibus.

Quorum capitum durities, flecti neſcia, & in ipſis, aperto exemplo, *Chriſti diſcipulis* diu hæſit, qui multis, dum ipſe viveret & coram edoceret Dominus, *moribus antiquis* tenaciter *inhæſerunt*, & nec â feſto Pentecoſtes, & in longo ſolennis novæ functionis uſu, â veteribus Judæorũ hypotheſib' ac placitis receſſerunt, quando vix unũ gentilẽ, Corneliũ, & ad expreſſum divinum nutum admiſſuri erant: Et gentilium certe commercium perpetuo refugiſſent, ni Paulus aliò abiiſſet, divino conſilio, & reliquos Apoſtolos in concilio Hieroſolymitano huc pellexiſſet. Quo maxima Epiſtolarum Pauli, imo & ceterorum Apoſtolorum vis tendit, qui veterum

rum pertinaciam Judæorum, gentilium ſocietatem a ſe arcendi, & ſic a Chriſti communione eos repellendi, acriter perſtringunt, & animos flectere aut frangere annituntur.

Neq; ex urbis cineribus & patriæ ruderibus natũ durũ & longũ pertinacisſimumque exilium hactenus reddidit molliores.

Neque vero exiſtimandum, in ſe *mentis tenacitatem animique conſtantiam* naturæ eſſe vitium, quod beneficium grande. Cum nil ſit effeminatius viro inconſtante. Neque a Moſe, Prophetis & Apoſtolis naturæ ipſius indoles damnata, quæ bona, ſed ejus uſus, qui malus, qui optimam naturæ vim, perſeverantiam animique robur, non in rebus Deo gratis, ſed prohibitis infeliciter exſerant & infando abuſu imprudenter exerceant.

Priſcam illam indolem judæorum tenaciorem roborat hodie *ſollicita* admodum *judaicæ* ſuæ in ipſa exilii calamitate *juventutis inſtitutio*. A teneris enim, & multo nunc ſollicitius quam quondam, imbuuntur eorum pueri doctrinis & ritibus veteribus ac conſuetis religioſisſime. Ipſa autem experientia, vel læta vel triſtis, ab-

unde docet, qualis sit, solers vel neglecta, primæ juventutis institutio, ut in civilibus, ita & in sacris, talem in animis adultorum atque senum esse & manere immutabilem opinionis & religionis habitum. Quo spectant canonum Judaicorum acervi, de parentum ad educationem & informationem liberorum obligatione, de præceptorum officiis, juribus, beneficiis. Ne quidpiam, legis etiam rigore, & pœnæ metu, in prima informatione negligant, vel parentes vel præceptores: Quod semina primum jacta altas agant radices.

DIS-

DISSERTATIO II.
in Jus Judæorum Canonicum
כסות
VELVM MOSIS.
Canonum lineis os oculosque Judæorum esse tectos, ne inhient alienis.

NEque vero natura solum, consuetudo, & educatio vinctos tenent Judæos, sed et aliud *velum* est, *quod os oculosque Judæorum obnubat* & tegat, quo minus vel videant alia vel expetant. Et *sensus* arcent â peregrinis sacris, ne sensibus dediti fascinentur, & in aliena castra sensim pertrahantur. Sensus vinculis obstringunt, ne, dum sunt in Europæ vinculis, religionis avitæ vincula excutiant. Oculorum fascinum est inter Judæos, *grave interdictum*,

alienis ſacris atque ceremoniis nullo curioſitatis etiam ſpecie ſe admiſcendi. Quod judæos vehementer retinet, ne quid peregrini videant vel adſciſcant. Curioſitatis enim ſi frena laxentur, tenerioribus maxime annis animisque, ſi aliarum religionum ſacra adſpiciendi detur libertas, conſpectu illo admirationem primum peregrini non ſatis cogniti cultus plerumque excitari, conſuetæ dein religionis tacitum contemtum, languidiorem ad minimum affectum gigni, vel ſuo in deſerto didicerunt exemplo. Quam præſentiſſimam eſſe occaſionem ab avito cultu abeundi, & vel mutandi illum vel plane alium aſſumendi, non ignorant: Vel Moſe arbitro & autore, qui peregrinum cultum vel viſere prohibuit.

Cujus Moſaici interdicti contemtus pœnas à Judæis in deſerto ſumſit graviſſimas. Qui cum Moabitica ſacra luſtraſſent, à Veneribus Moabiticis capti, in illarum gratiam mox idolorum quoque caſſibus irretiti, magno numero cæſiet ſuſpenſi ſunt. Accedit nauſea & ingeſtum viſendi tædium, quando libertatem curioſitatemve, alienú â Judæorum moribus cultum contemplan-

plandi vel & cooptandi ac mutuandi, coërcet apud judæos indubitata de exteri cultu *idololatriæ abominandæ persuasio.* Quam ignominiosam *omni sine discrimine cultui peregrino* exemplo veteri inusse notam. Rati, sic primam statim ætatem non solum a libertate visendi felicissime retineri, sed & â cupiditate cognoscendi retrahi: Quin discere abhorrere plane quicquid cum suo non convenit ordine, ut nec velit spectare, si possit. Nec adeo vel pedem in christianorum ædes sacras ferunt, nisi forte per templa, toto die patentia, transitus sit publicus. Sic enim compendii gratia per templa velut per publicam plateam commeare, ab Antistitibus indultum.

Divina accedit indulgentia, & Principum Europæorum benignitas, qui palabundo huic & per omnes orbis angulos oberranti populo, in gratiam antiquissimæ originis, & memoriam vetustissimæ gloriæ, *publicum* concessere suæ peculiaris & ab omnibus gentibus distinctæ *religionis & quietum exercitium.* Quæ in exilio Europæo licentia & *publica sacra* dedit *ædificia*, eaque in quibusdam rebuspu-

blicis ſplendida, quæ veteris templi Hieroſolymitani locum impleant, tametſi ſcholæ vulgo audiant: Utpote in quibus & cantetur, & oretur, & legatur, & doceatur publice: Omnia ad ideam vel analogiam veteris cultus. Quod proprii ſui ſacri cultus inſtituendi & libere omni ex parte exercendi beneficium, blandum gentis vinculum, intra ſuos manendi cancellos, qui evagari nec opus habeant nec deſiderent. Quâ viâ ſui cultus conſuetudo alieni cupidinem facile coërcet.

Fugam exteri cultus auget jactantia, & occultum in ſinu gaudium, ſolos Judæos *hominis* nomine eſſe dignos, gentes reliquas *brutorum* characterem referre. Judæorum Doctores in hac dignitate ac prærogativa commendanda multi ſunt & admodum operoſi. Qui humanam dignitatem in virtute, ſeu *lege*, ut ajunt, poſitam eſſe affirmant: Legem verò non niſi Judæis latam aſſeverantes. Homines non eſſe, niſi ore, qui legis virtutisve ſint expertes. Gentes, extra Judaicam rempublicam, temere ferri, ſuis rapi voluptatibus, & impetum ſequi naturæ non divinum mandatum. Brutis igitur ſimiles,

les, vitæ & vitiorum ſordibus, non hominis ſed brutorum inſigne mereri. Quibus jungunt, quam lege ſua comprehendunt, unius Dei cultum, quem apud ſolos Judæos exiſtere ſibi ſuisque perſuadent. Dei verò cultum hominis veri eſſe, hominemque declarare, cum homo ad Dei cultum ſit conditus. A cultu proinde Dei alienos, non homines eſſe ſed bruta audire, qui brutorum more in diem vivant, ſine Deo, quem nec agnoſcant nec colant. Præſidium ſuæ gloriolæ ex Prophetarum quærunt ſtylo & frequentibus effatis, qui gentes reliquas communiter pecudum elogiis ornent, Judæos homines virosque appellent.

Nec neſciunt, Prophetas collimaſſe in ignorantiam veri Dei, apud gentes plerasque graſſantem, cum vitæ neglectu & voluptate. Qui hominum nomine indignos judicarent, qui nec Deum noſſent, nec revererentur, juſſa ejus executi. In ſuam proinde & in exilio convertunt ſagaces antiſtites gloriolam veterum Prophetarum ſententiam, immemores, Prophetas pari affectu atque ſcopo & Judæis ſuorum temporum ſimilia quæ gentibus

dare epitheta, qui non melius quam gentes aliæ se gerant, veri Dei ignari vel contemtores, vitiorumque brutali feritate insignes. Illis dissimulatis, sibi vindicant, quod bonis, rectis & justis Prophetæ dederunt: â se declinant, & in gentes torquent, quod odiosum, quod ignominiosum. Nec quales sint, sed esse debebant, aut optent, honoratiori *hominis* nomine: suos hodie exornant: Nec quis hodie sit, quondam gentilium, velut Europæorum, dissimilis plane â veteri status, vel attendunt, vel sui amore occupati agnoscunt, nec suos intelligere permittunt. Sic bruta ipsis manent gentes, homines ipsi sibi sunt.

Quod frenum plebi injectum non tantum à sacris aliarum & christianarum gentium eos retinet, sed & *vitæ familiarius commercium vehementer restringit*, & ne gentibus propius jungantur avocat. Qui contenis canonibus vetant, ut sacrorum, ita & connubii, victus, & propinquioris conversationis communionem.

Nec indulgentia populo data, *scripta exterarum*, in quibus degant, aliarumque *gentium* legendi. Ne quid inde trahant, quod

quod à Judaicis moribus avertat. Prohibitique adeo libri aliorum populorum, nec nisi eruditorum & inter Judæos Præsidum manibus permittuntur, qui & suis rebus plene imbuti sine periculo aliena observare, lustrare & dijudicare valeant. Qui proinde præ ceteris se libere per omnis generis scripta, Græca, Latina, Germanica, diffundunt, nec è Christianorum sacratissimis monumentis abstinent. Quin, ne quis plebi ex nostris rebus & scriptis ingeratur, ut fit colloquiis passim, quod animum illorum flectere & è Judaico sinu evocare potis sit, nostra religiosa scripta examinare, refellere, & suis exosa reddere, non verentur. Idque non docta solùm hebraica seu rabbinica dialecto, sed & populari & plebeja.

Ne quid verò in gente videatur desiderari, quod ad omnis eruditionis ambitum pertineat, quo exteræ gentes præ Judæis excelluerant, quodque invitare ad lectionem exterorum scriptorum posset, & hic a doctoribus abunde consultum. Qui *omnes doctrinæ & eruditionis partes*, quibus exteri florent, *ipsi* æmuli, in *suis metscholis & publicis Academicis* edocti, *libris* non minutis nec paucis *prosequuntur*. Unde *Bi-*

de *Bibliothecarum* apud illos, ex ſuo gremio, & numerus & decus. Quorum indices, Catalogos, Auctiones divulgant. Europæorum beneficio & hac in re uſi, qui *Typographias* non paucas, in Europa & extra ejus limites, à primo artis inventæ articulo hucusque ſuſcitarunt, operasque illas incomparabiles pro ſuis uſibus & in ſuæ gentis conſervationem ſedulo exercent.

Qui ſuis quoque, ne editores, & qui impenſas faciunt, avarorum æmulatione frangantur, & typographiæ tædio enerventur & ſuccumbant, *Privilegiorum* honorem & beneficium impendunt, ſeveris Judicum & in Synagogis Antiſtitum edictis caventes, ne quis intra certum annorum circulum idem imprimere opus, & editorem vel typographum primum defraudare auſit.

Præterea, ne quis plebi incidat ſcrupulus, de uno alterove Judaici Doctoris ſcripto, cum & inter ipſos de variis dogmatibus ſit diſſenſus, *Cenſuris*, *Teſtimoniis*, & *Collegiorum conſenſu & Approbationibus*, noſtro more, ſuamet opera inſigniunt, frontem librorum illis exornant, fidemque publicam acquirunt.

Tot

Tot tantaque inter Judæos *oculiferia*, quibus intra ſuos limites coërceantur, & ne ad alios curioſitas declinet, caveatur. Hæc prudentum incantatio, hoc faſcinum argutorum, quibus utuntur ſagaces, ne plebis oculi vagentur liberius, neve animi oculos ſecuti expatientur latius, caſtris ſuis avitis relictis.

Ut *oculos* obnubunt, ita & *os* ſuorum obturant *Rabbini*, judæorum res moderantes, ne quid alieni in ſacris *fari* diſcant. Hinc primum *conſilium*: *Idioma ſermonis primævum*, ſeu *Hebraicam* gentis ſuæ *linguam*, conſtantiſſime in *cultu ſacro*, quoad omnes partes, ſive a ſacrorum miniſtris ſive plebe *faciendo*, ſanctiſſime *ſervari* debere. Nam *linguæ in ſacris conformitas* & antiquitas unionem fidei & antiquam profeſſionem miro ſucceſſu ſervat; Sicuti vicisſim publica *linguarum diverſitas* faciles, pro nationum varietate religioni inducit mutationes inſolitasque formas. Novitas quippe linguæ noviter accitæ novos ſenſim vehit mores, & inſuetos ſacrarum rerum ordines. Scilicet, non neſciunt Judæi, quibus cerebrum eſt, omnem mutationem in civilibus non ma-

gis ac ſacris eſſe periculoſam. Idque imprimis illos terret: Quod ſi non veterem ſervarent in ſacris idiomatis formam, ſed verſionem precum & ſacrarum formularum plebi indulgerent, futurum facile, ut non ſolùm oblivioni dent Moſis & Prophetarum os, ſed & venerationem, quam priſco illi ſacro ori deferunt, abjiciant. Præcipue verò hoc intelligunt periculum: Futurum brevi, ut diſſideant inter ſe & in ſuis viſceribus omnes, diffluantque ſponte, omni religionis avitæ nomine eliminato. Siquidem, ubi res rediret in verſionem ſacrarum orationum & precum, imo in verſionem Voluminis Moſaici publice prælegendi; eventurum, ut in diverſis mundi & Europæ partibus diverſæ fiant verſiones. Sic ſola illa verſionum & idiomatum diverſitate vinculum unionis iri ſolutum. Deinde lites ſtatim ſuborituras innumeras, tum in eadem gente, tum diſſitis & longius remotis. Quod de interprete judicaturi eſſent, nèc immerito, univerſi iſtius primùm gentis eruditi inter Judæos viri. Quorum hic illo, alius alio modo, & Moſen & preces recte, rectius, traditioni, & ve-

ritati

ritati congruentius, reddendum pronunciaret, pro ingenii, doctrinæ, & experientiæ varietate. Quanta inter diſſitas nationes de hujus, illius, iſtius gentis verſione dimicatio ſuboritura? Unde colliſiones Synagogarum & certamina infinita. Accedit, quod tales verſiones ætatem non eſſent laturæ. Quandoquidem illis annis ſolum, aut uni alterive ſeculo ad ſummum, talis verſio foret dicata. Succedentibus annis & fatis, aliæ verſiones de novo forent adornandæ: Idque per omnes nationes. Nam, præterquam quod ſingularum gentium idiomata ſenſim & per ſeculorum anfractus, alium ſonum, alium ſitum, alium vocum & formularum uſum adſciſcant, quæ poſteris priora reddant abſona & obſcura: Doctiorum etiam ingenia & judicia cum annis & ſeculis variant: Ut poſteri in majorum verſionibus pervideant lapſus, quos primi non animadverterant, vel toleraverant. Illa igitur cum novis verſionibus emendanda, & veritati ac integritati Fontium reddendum quod antecedentes neglexerant. Novæ iſtæ, iterumque aliis ſeculis novæ, Judaicæ profeſſioni irrecuperabili forent

damno.

damno. Quin & illa viâ, verſionum cumulis in qualibet gente palam exhibitis, populis exteris, in quocunque regno, non ſolùm eruditis, ſed & plebejis, anſa daretur Judæorum res reconditas inſpiciendi, dijudicandi, indeque vellicandi, reprehendendi & ſubvertendi. Quæ innumera pericula, â ſagacioribus Judæis præviſa, uno illo ſunt cauta & averruncata conſilio & inſtituto, ut ſacra univerſa, veteri avita ſerventur dialecto. Hæc omnium per totum orbem Judæorum teſſera, hæc omnium unio, hæc una conſervatio.

Ne quid tamen plebi curioſæ videantur denegaſſe, *verſiones* non negant ſacrorum, ſed indulgent, ſed parcius. A publico tamen uſu arcent, privatisque vulgi commodis mancipant. Maxime, cum in illis ſuperiora jam experiantur incommoda, quando pro diverſo interpretum ingenio diverſa verſionũ jam emerſit facies. Quarum una præ altera vel applauſum vel uſum obtinet, vel & hæc doctiorum conſenſu approbatur, altera repudiatur, quin publico & Rabbinorum edicto vetatur. Rudiuscula itaque iſta interpre-

tamen-

tamenta plebi relicta, nec ſacris publicis miſcentur, nec ætatem ſperant.

Uti Moſis & precum, ita & *rituum ſuorum anniverſariorum verſiones* populo non negarunt, ne eorum plane rudes vel nihil tandem dicerent vel ſine mente ſonum darent. Sed & hæc privatæ notitiæ inſerviunt, non publicis Synagogarum orationibus & exercitiis.

Quin imo & in ipſa hac indulgentia ſollicite cautum, ne in gentium aliarum manus oculosque plebejos inciderent verſa. Quando ſuo, *Judæis proprio, characdere vulgari*, exprimere omnia juſſi: Jüden deutſch. Qui character affinis avitæ hebraicæ literaturæ, exinde celeritate ſcribendi ortus. In Latinis, Luſitanicis, Hiſpanicis, Belgicis, verſionibus & ſcriptis latinam ſcribendi formam haud inviti ſervant, quod illa plebis imperitæ cenſuram non metuant.

Præ ceteris Sacrorum Codicum, *voluminum* maxime *Moſaicorum*, *antiquiſſima* & ſcrupuloſiſſime ad veterem faciem compoſita *forma*, in ſacris in omni poſteritate ſervanda. Ut priſca religioſitas ex decora & veteri ſacri voluminis ſpecie oculos omnium publice ſemper per-

cellat, ad devotionem & venerationem invitet, memoriamque avitæ gloriæ & religionis ſubinde refricet. Quæ res magna ne in deſuetudinem in exiliis abeat, integris libris & voluminibus ac canonum cumulis cautum, quibus Volumina legis ſacra ſcribendi autoritas & dignitas injungitur & ſervatur.

Porro pollicitatio non tam terrenæ voluptatis, quam libertatis indeque oriundi commodi *cujuscunque* corporalis, nempe *terræ Canaan recuperandæ & dein perpetuo retinendæ ſpes*, & ſic non ſolum animi ſed & corporis tranquillitate fruendi deſiderium, (quarum rerum irrefragibiles teſtes & manifeſtas teſſeras æſtimant univerſos *ſuos ritus*, quæ & omnium precum anima & tota ſententia) Judæos mulcet & lactat, ne alios admittant in cultu ſacro mores ſed priſtinos avidiſſime ſervent. Servitus, eaque tam longa & tantæ moræ, moroſos & ſubtriſtes facit. Libertas animum reddit & erigit. Hæc una Judæorum expectatio. Hujus ſpei tenacitas morum facit tenaces. Senſibilium enim & *corporalium rerum ſpes*, libertatis præſertim aucupium, in ordine aliquo externo

terno homines fortius retinet, quam ſpiritualium & rerum a ſenſibus remotarum vel lautiſſima & ſanctiſſima promiſſio. Quæ naturæ eſt imbecillitas. Quæ Moſi penitus perſpecta, centena populo ſuaſit indulgere ſenſibus & corpori accommodata, quæ niſi cognita iſthæc populi ſenſibus dediti infirmitas ſuaſiſſet, nullo modo fuiſſet permiſſurus. Quæ prudentia ſtylum quoque Chriſti & Apoſtolorum admirabili ſuavitate temperavit, ut Judæorum animi, ſenſuum mancipia, molli via in celſiora flecterentur.

Hæc ſuæ gentis tantum non indiſſolubilia humanitus vincula, quæ certe nec ferrum tot ſeculis ſcindere nec ſanguis macerare, nec ulla vis rumpere ſuſtinuit, & civilibus ſervantur reſarciunturq; cancellis. Uti namque ſacra omnia ſibi ſervant, nec alienis miſcent, nec in aliorum notitiam ſua pervenire facile ſinunt, ita & *forum* ſuum taciti ſibi tenent. Quod enim civilia apud Judæos a priſcis temporibus non fuerint tam curate diviſa â ſacrorum adminiſtratione, idem præſes utraque curare doctus. Qui ergo ſacrorum arcana ſarta tecta ſervant, civilia ſub illis

illis tegunt. Judices itaque habent ſuos, Synagogarum antiſtites, ſupremos, medios, imos. Delinquentes non ad gentium, ut hic chriſtianarum, tribunalia commeare concedunt, ſed querelas læſorum ipſi in conſeſſu coram teſtibus audiunt, veritatem, ut poſſunt, inquirunt. Confeſſos aut convictos non pœnis & ſupplíciis magiſtratuum ſub quibus vivunt tradunt, ſed ipſi quantum per Jura Europæa Romano-Germanica & imperii receſſus licet, plectunt, mulctâ, fuſtigatione, relegatione, excommunicatione. Ceteras controverſias, & matrimoniales, ad juris canonici oracula exigunt & decidunt, partesque acquieſcere doctæ. Unde volumina apud illos nec parva nec pauca, reſponſionum, deciſionum, in controverſiis & caſibus apud illos ſubnatis. Nihil horum ad forum noſtrum. Arctum hoc & ſtrictum gentis, ne inter ſe diſſiliat, vinculum.

Nec poſtremum ſane, ultimo licet loco memorandum, pro unienda ac in exilio conſocianda, aut intra ſuos cancellos ſervanda gente Judaica, quo ſingulari arte fruuntur, præſidium, *proprium Calenda-*

lendarium. Quandoquidem enim liber illis ſacer cultus magna ex parte indultus, hic verò ad ſtata veteris ævi, & patriæ accommodata tempora, determinatus, ne quid unquam toto anno vitium ſurrepat, ſuæ gentis Calendario omnia ſuis menſibus & diebus ad avitum morem & genium ſunt adaptata. Quos temporis indices, quæ annorum & menſium initia, quæ feſtorum exordia, omnia cum habeant alia, quam noſtra & aliorum ſupputatio, noſtra fert celebritas, diſcrimen inter illos & alias gentes omnes, illos ab aliis omnibus facile diſcernit, & ne cum illis miſceantur cavet. Cui accedit, illis non ignota gloriola, calculum ſuum ceterorum populorum calculo palmam fere præripere. Cui ſtudio hodienum ſe dant inter ipſos viri docti non poſtremi, qui multis opuſculis rem tantam exequuntur, calculumque avitum conſervant & illuſtrant. Peculiaris igitur factorum & temporis cura, ſacris & civilibus ſuis rebus attemperata ſuæ velut cujusdam reipublicæ eſt munimentum.

His ergo potiſſimum rebus atque mediis, partim a natura provenientibus, par-

tim prudenti Antiſtitum conſilio munitis, ſuffulcitur hodienum palabunda gens judaica, ne vel hilum in avito cultu mutent, ſed formam antiquam pertinaciſſime ſervent, extorres licet alienaque regna tenentes, ſub gravis exilii ſervitiique modo. Neque hæ viæ, vel axiomata civilia, cultum ſacrum in populo ſervandi incontaminatum, per ſe omni ex parte mala aut illicita, cum & divinis auctoribus aliqua non fuerint ipſo uſu ignota, & ſana ratio eadem prudenti gubernatori pro rerum fatis ſuggerat. Vitium hoc eſt, internam cultus rationem non recte metiri veritate, externam pietate. Mala applicatio mali eſt origo. Judæi vero cultum omnem ſuæ gentis conſervatione ſagaciſſime metiuntur, hucque regulas vel optimas unice deflectunt & detorquent. Quam latentem rationem in omnibus ipſorum ſacris canonibus, ritibus & ceremoniis, obſervare, non minus ſagacis eſt chriſtiani, quam argute oſtentantis Judæi.

DIS-

DISSERTATIO III.

In Jus Judæorum Canonicum.

חשך

TENEBRÆ EXILII:

Judæorum ſuperſtitio in Canonum abuſu.

Sic bonas quasdam, vel quondam toleratas, à Moſe admiſſas vel definitas, cultus ſacri judaici ex prima illa antiquitate reliquias pertinaciter tenent. Veruntamen rara ſunt, quæ ſententiæ & ſcopo Moſis reſpondeant. Longa ſeculorum intervalla, & improviſa ac intolerabilia ſæpe fata, veteres Moſis formulas retinere permiſerunt, verùm cum alia tempora alios mores poſtularent, veteribus formulis novæ conſtitutiones tectæ, & veteri colore nova facies commendata. Sic Moſes frequenter alio pellectus, quo ſe abiturum non credidiſſet. Millia

canonibus definita, quæ Moſes nec vidit, nec ſtatuit, nec imperavit, quæ nihilominus autoritate Moſis involvuntur aut comuntur. Sagaciter itaque, in gratiam vulgi imperiti, novis ſubinde moribus ex Moſe antiquitatis prætextus quæſitus, tectæque verba â mente Moſis abducta, & in rem præſentem uſumque novum ſcite & ingenioſe applicata. Quanto igitur color ex Moſe aptior novis ſtatutis inductus, tanto promptior fides, tanto pronior tandem ſuperſtitio. Quo pacto factum, ut, cum vulgus diſtinguere neſciret vetera à novis, ſub eodem habitu omnia putaret ejusdem eſſe dignitatis, ejusdem antiquitatis, ejusdem religionis. Quæ exiſtimatio fœcunda ſuperſtitionis mater. Hæc perſuaſio vetuſtatis & præſtantiæ aut religioſitatis, verbis veteribus palliata, meris mentes Judæorum involvit tenebris. Hæc demum ſervitus in exilii ſervitute: Hæ demum tenebræ in ſervitutis caligine. Non meminerunt plerique, vel ſolo propemodum Moſis nomine ſe circumferri, qui umbram illius referant potius quam corpus. Non attendunt, colore Moſis ſe tinctos, pectus eſſe novum, ſucceſſu temporis ſenſim ſubna-

ſubnatum. Titulo Moſaicorum ſtatutorum veterum omnia pene alia & nova poſſideri. Ut, ſi dicendum, quod res eſt, novi plane dicendi ſint homines, veteri habitu. Progenies Abrahami carne, Moſis diſcipuli nominetenus. Per omnia Juris Judæorum Canonici capita ſi ire liberet, veteri nomine & Moſaicis verbis potiſſima recentiora occuli decreta, facile demonſtraretur. Superſtitioſæ idcirco, quibus veterem Moſaicam de cultu Dei doctrinam jam olim ſenſim mutarant vel contaminarant, iisque, exilii periculis cauti, *adverſus communionem gentilium* ſe fortius munierant, admixtæ nunc ſunt *traditiones* innumeræ. Ut difficile ſit ipſismet Judæis, veterem Moſaicam formam à ſubnata & attexta recentiori diſtinguere: Quippe quod omnia autoritate Moſis vendantur.

Nec omnis *mutatio* in principio fuit pro ratione temporis ſuperſtitioſa. Cum pro publicæ rei fatis & temporis lapſu quædam omnino in externis agendi modis mutare, adeoque & priſcis ſervatis formulis vel addere aliquid vel demere, prudentia imperet. Quin ergo, pro Eccle-

ſiæ & ſeculorum conditione, Reges, Prophetæ, & poſt illos prudentiores Antiſtites, *quædam* pauliſper inflectere, *emollire* vel *exaſperare*, fuerint coacti, Regum hiſtoria nullum finit eſſe dubium. Quam multa Samuel, David, Salomo, in ſacris, præter Moſis regulam vel tolerarunt, vel acciverunt atque adornarunt, quæ regendi prudentia pro publicæ rei commodo ferre aut inſtituere mandaret? Quæ tamen *deflexio*, cum tempore aucta, primùm neceſſitati inſerviens, *in abuſum* poſtmodum, vel temeraria obſervatione vel nimia indulgentia & infelici æmulatione, in plerisque tracta, & *ad ſuperſtitionem* eſt intemperanter detorta.

Occulta autem vel aperta *cæremoniarum* veterum immutatio ac depravatio, ad ſuperſtitionem inter Judæos abrepta, vel ex proprio quorundam præſidum & doctorum, inani *faſtu* tumentium potius quam ſcientum pectore, qui ſcopum majorum vel ignorarent vel lubentes diſſimularent, orta: Vel, præ opinionis *ſimplicitate*, in judicio carentium debili ſacerdotum judaicorũ cerebro infelici partu prognata;

Vel

Vel eorum, qui intempeſtivo affini religionis *Zelo* abrepti, æſtui debetur, qui vel ſolo externi decoris colore capti, & ſolo vetuſtatis pretio, ac creditæ religioſitatis æſtimatione faſcinati, in veteri umbra quieſcere maluerunt, quam veterum animo & conſilio revocato externam pompam à ſuperſtitione liberare.

Hinc *immenſa traditionum judaicarum* hodie ſupereſt *farrago*, quam, præter umbram Moſis reliquam, *Cabbalæ* vel *legis oralis* nomine ſuis vel inſcii vel callidi vendunt, eâque *ſuos in ſervitute atque ignorantia* vel inviti vel ex inſtituto *retinent*. Quæ traditionis gloria & pompa breviter quidem â R. Juda Hakkadoſch in *Miſchnajot* comprehenſa, ſed tum vaſto *Gemaræ* mari immerſa, tum infinitis recentiorum doctorum Judaicorum *commentariis* ſedulo diſcuſſa, ſcrupuloſe examinata, novis appendicibus aucta, atque publica Synagogarum autoritate roborata eſt.

DIS-

DISSERTATIO IV.

In Jus Judæorum Canonicum

אור

LVMEN IN TENEBRIS.

Reſiduus in exilio Dei cultus, per Canones definitus.

CEterum in immenſa illa traditionum & rituum ſacrorum mole reliquum eſt tectum præcipuum cultus divini momentum, quod apud Judæos agnoſcitur eſſe *nominis divini invocatio.* Quod quantum quantum negotium, idololatriæ omnibus modis oppoſitum. Qui enim per longum & aſperrimum Babylonicum exilium à veteri idolorum cultu abſterriti, unum Deum invocare didicerant, huc omnem in ritibus convertunt intentionem. Maxime, cum

inter

inter gentes iterum in novis vagis ſedibus degant, quas omnes, præter ſe ſolos, idololatriæ pro veteri more ſuſpectas habent.

Præeuntibus igitur primis Patribus, Abrahamo, indeque natis, ab idololatria liberis, diligentiſſime â Moſe commendatum *cultus divini ſtudium* ſummo ſtudio hodie retinent. Retinent inquam hypotheſin ſalvam : *Deum ſolum eſſe colendum.* Id quod millenis formulis in quotidianis precibus teſtantur, qui citra omnem idololatriæ contagionem unice Deum ſe colere & adorare, magno clamore pronunciant. Sincerioris hujus cultus fundamentum ſuis ſedulo inculcant : Ut eo ipſo omnis idololatriæ, cum idola nihil ſint, fucum declinent, *Majeſtatem atque omnipræſentiam Dei.* Neque enim aliter hominem omnes ſuas inſtituere debere actiones ſeriò monent, etiamſi ſolus ſibi quis videatur domi agere, quam *in conſpectu Regis*, qui omnia intueatur, ac præſentiſſime contempletur. Ita ut nec verbum, quod in amici ſinum effundatur, vel in familiari ac quotidiano colloquio proferatur, aliter quis pronunciet, quàm *coram ſummi Regis throno* poſitus.

Ex

Ex qua *divinæ majestatis* semper præsentis *recordatione* oriri submissam *reverentiam*, atque circumspectam & *devotam venerationem*, ipsi satis intelligunt, & devoti submonent.

Hujus vero *devotionis* atque erga Deum præsentissimum observantiæ vel cultus una pars olim erant *sacrificia*, uni Deo offerenda, altera ac præcipua, inter honestum vitæ ambitum, exemplo Mosis, Davidis, ceterorumque antistitum, *preces* vero Deo sacræ, idolis, non-dîs, seclusis & averruncatis.

Ceterum, *omissis nunc* extra patriam *sacrificiis*, destructo & ultimo per Romanos templo, arte opus pro pacando animo inquieto, & plebe placanda, ne cultus Dei mutilus atque mancus extra patriæ fines appareat, scrupulis plebi exemtis, frequens *Mosis de vero Deo colendo mandatum ad preces* maxime referre consultum visum. Quippe dum injunctus ille cultus, *cordis* notet motum, spiritus devotionem seu *cultum*, sive internum *erga Deum affectum* & devoti obsequii promptitudinem: Cultum autem cordis, seu internum, post vitæ honestatem se exerere

maxime

maxime per *preces*, quæ haud aliter offerantur & ſurſum mittantur, ac quondam ſacrificia cum ſuffitu. Neque tamen ſacrificiorum plane dememinerunt, ſed, quorum aliqua olim aliquando tempore Meſſiæ reſtauratum iri putant, illorum memoriam in ſacris multis indiciis ſervant: Nec parvis monumentis & libris, quin prægrandibus operibus, univerſum veterem ſacrificiorum & templi ſacrorumque officiorum apparatum, exacto ſtudio à variis conſignatum & illuſtratum, religioſe ſervant: Non pro memoria ſolùm rerum abolitarum, ſed & pro certa reſtituendarum ſpe, ut, ſi quando deſiderata priſtina fortùna redeat, patriam repetituri non ignorent, quæ ſint & quomodo revocanda ac redintegranda.

Porro, labentis ætatis & fluentium ſeculorum conditio, Eccleſiæque varia & ambigua ſæpe fortuna, cultum iſtum, ſive *preces*, variis *circumſcribere* limitibus compulit. Simplicitas enim & *imperitia plebis* in rebus ejusmodi â ſenſibus remotioribus *modum ſervare* aut recte ſe gerere nequit. Neceſſum ergo omnino eſt, *imbecillitati turbæ* conſulere, certis præſcriptis viis

viis ac *orandi modis*. Atque ita præter Moſis, Davidis, Salomonis, Prophetarum, orationes, integro volumine in ſacris comprehenſas, *Eſram* definiviſſe uno ore referunt ab exilio Babylonico reducem, certum *precum numerum*, & certas alias *formulas*, gentilium commercio oppoſitas, quibus à cultu extero arceantur. Quibus hodie ſunt aſſueti omnes. Quibus deinde a variis eorum doctoribus variæ ſubinde ſunt additæ, & adduntur quotidie. Ut præter ordinarios precum libros, permultos hodie teneant alios, copiâ & multitudine novisque formis nec ipſis chriſtianis cedentes. Quin præter illas, quas quotidiani vel ordinarii, vel ſuccenturiantes alii, *precum libelli* magno numero exhibent, & *alias privatas ex proprio fundere pectore* pro fati neceſſitate, non prohibent.

Nec vero illud *in precibus* judæorum damnandum, quod & Chriſto & Apoſtolis ſervatum, quod plerasque hoc *ordine* atque tenore inſtruant, ut *primùm Deum celebrent*, ſuamque erga eum devotionem atqe ſubmiſſionem hoc pacto teſtentur: *Poſt* ſuas afferant pro rerum neceſſitate

petitiones

petitiones atque ſupplicationes: Denique ſubjungant pro acceptis beneficiis *gratiarum actiones*. Facile namque plebem ſopor obruat, ut nec quid nec quomodo orandum ſit, meminerit, niſi ex præſcripto & exemplar & ordinem cognoverit.

Neque inepte veteres, ob turbæ imprudentiam atque ſomnolentiam, quæ neglectum & perpetuum tandem & rude ſilentium invehat, *ſtata* definiverunt *precum tempora*, nempe, dum quotidie, mane & veſperi, *juge* offerebatur in templo *ſacrificium*. Quæ plebis retinacula ſacro impetu à ſopore animum retraherent, & ad ſpiritus motum excitarent ſtati temporis calcaria. Eaque *temporis intervalla* ab Apoſtolis quoque Hieroſolymis obſervata eſſe, ex Actis conſtat. Eadem adeo abſentibus licet ſacrificiis, *adhuc hodie* domi & in Synagogis circumſpecte judæi ſervant. Ex qua veteri devotione & Chriſtiani *matutinas & veſpertinas preces* habent.

Præter hæc rudi adhuc & in exiliis præſertim negligenti plebi fuit conſulendum, *ſitu orantium* aut *corporis habitu* injuncto: qui vel *ſtando*, vel pro majori

devotione *ingenua procumbendo*, ac faciem & *corpus in terram usque proſternendo* orent. Quod quidem itidem uſu & ratione non caret, cum decens corporis habitus ac *reverentia externa* animum multum juvet, imo excitet, vel ſi ineptus, mentem turbet & avertat. Compoſiti mores animum arguunt compoſitum.

Cæterum, bonis illis *orantium adjumentis*, etſi â Moſe diſtincte non præceptis, pro neceſſitate tamen Eccleſiæ inter poſteros prudenter definitis, in merum etiam *abuſum* jam detortis, quam plurima alia oculiferia & frigida ſpectacula, devotioni haud congrua, ſubeſſe manifeſtum.

Valde inprimis *ſuperſtitioſis*, exoticis ac pene exoſis *ritibus* & geſtibus externis, quicquid bonarum reliquiarum in precibus eorum ſupererat, negligentia & oſtentatio, & antiqui inſtituti ſupina ignorantia plane *contaminavit*.

DIS-

DISSERTATIO V.
in Jus Judæorum Canonicum
דיני ההשכמה
OFFICIA ANTE-LVCANA.

ANte *preces* matutinas ad *vigilantiæ, verecundiæ, ſanitatis, munditiæque* momenta, ſanctæ religionis nomine â Magiſtris potiſſimum obligati *Judæi*.

A *Magiſtris* inquam *Judæorum* ſequioribus temporibus, ab exilio Babylonico, non primitus à Moſe ſunt diſerte obſtricti. Moſes quidem magno legum ceremonialium numero *honeſtatem & ſanitatem populi* intendit, his vigilantiam & promptitudinem atq; circumſpectionem, illis verecundiam, iſtis ſanitatem, aliis munditiem oblique plebi commendans; Nec apertis tamen verbis definivit, nec ad preces antelucanas reſtrinxit. Quod pru-

dentiæ posterorum relictum, quorum est suo cuique servire tempori & quid ex usu sit publico determinare. Latet idem scopus in legibus Mosis centenis, si rationes attendantur, qui ex his posterorum constitutionibus patet. Neque vero salutaris & bona *constitutionum* manifestarum *causa* posteris defuit, quos *necessitas* compulit hos judæis dare publicos honestatis & sanitatis canones. *In meram* autem *superstitionem* tandem abiisse utiles illas moratas sanctiones, quin sanctissimis ipsius Dei præceptis moralibus longe fuisse antepositas, illarumque quæ ad corpus spectant observatione sedulâ hæc quæ ad animum pertinent esse neglecta, longior externorum effecit usus, nec non antistitum in externis rigor, imperitia denique & ruditas plebis judaicæ, quæ corporis res externosque motus observasse contenta, animum relinquit incultum. Ita *neglectis* sensim *canonum causis*, iisque *ignoratis*, in strictam & severam religionem abierunt, quæ primum à prudentibus Judæorum magistratibus & doctoribus, pro populi incolumitate corporumque valetudine utique præscripta, scopo tandem

dem posthabito, solius religionis nomen induerunt. Id quod Christus & Apostoli millies in Judæis reprehenderunt.

Nimirum, cum *in diuturna captivitate Babylonica*, in dura servitute, inter gentiles, dispersi Judæi, *desuescerent*, *verum veri Dei cultum servare*, & *adsuescerent sacris aut irreligiosis moribus peregrinis*: *Servitus*, simul & *paupertas*, ad morum quoque civilium neglectum, sorditiem, & extremam ruditatem plebem pertraxit. *Turba* enim sibi relicta, nec continuo monita, vel optimos deserit mores, & in pessimos *degenerat* affectus. *Paupertas* maxime & *servitus*, abjectum animum & quamlibet sorditiem pariunt, *omnis decoris* ob defectum præsidiorum *nesciæ matres*. Post captivitatem igitur, in qua omnem ruditatem morumque neglectum contraxerat populus, seniores ac prudentiores Antistites certis præscriptis *regulis*, datis salubribus *constitutionibus*, *plebem in ordinem redigere*, cultumque morum reddere meliorem, non vano consilio conati. Imprudens autem ac rudis & inculta *turba*, *causas canonum ignorans*, & subsequens ætas, à majoribus suppositas causas ne-

gligens, in merum *externum ordinem* præ-scriptum temere & inconsiderate ruit, e-umque *in superstitionem* tandem & *hypo-crysin* inepte detorsit. Quia autem u-niversus precum apparatus antelucanus ad *corporis* pertinet *munditiem & deco-rem*, sagax antistitum consilium pellucet, qui scirent, sordes negligentiam arguere & parere, animumque ad omnia negotia i-psamque devotionem reddere torpidum & ineptum. Qui proinde & vitam Judæ-orum honestam & devotionem since-ram gubernarent, utrique bene consule-re annisi, *honesto vitæ genere* indicto.

Sacrum autem, arduum & momen-tosum apud canonum autores *fundamen-tum* sub illis elegantiæ regulis & boni or-dinis cancellis occultatum: *Precatio sine devotione*, aut animi intentione, *est instar corporis sine anima.* Si absit animus a pre-cibus, esse nullas nulliusvi virtutis. Cui affine alterum effatum: *Satius* esse, *pauca in precibus fari cum devotione, quam torren-tes fundere verborum absque attentione.* Nec serenius ullum tertio hoc effato: *Preces sereno fiant animo.* Animum in pre-cibus bene debere esse compositum, non

huc

huc illuc distractum, sed præsentem, rei penitus intentum.

Quoniam igitur non nesciebant Seniores, prudentioresve rerum administratores, *animi serenitatem* atque *intentionem* in civilibus non magis ac sacris *munditie & sanitatis studio* multum juvari, illa sacris admiscuere mandata, quæ corporis incolumitatem atque integritatem spectarent.

Hinc apertius alii inter Judæos monuerunt, *ad sanitatis conservationem* teneri omnes, Judaicæ fidei ratione, qui Deum colere instituunt. Quo de Maimonides, naturalium rerum peritus, medicus & philosophus, & alii Rabbini fuse, *regulis sanitatis* ordine & palam inter reliqua sacra præscriptis. Ita enim, quæ & naturæ juris sunt cum divinis legibus studio miscere, antiqua, & Mosis suasit consuetudo, quando artium moralium, physicarum, medicarum, politicarum, sacrarum, non tam curate, ut hodie apud nos, cancelli erant distincti, sed iidem in populo Antistites omnium simul habere rationem sueti, nunc has nunc illas pro omnium salute sanxere regulas. Præterea, ni talium aliqua *populo rudi* innotuissent obser-

vanda, *religionis nomine*, quibus consultò quædã insignita, spreta exspiraſſent. Turba enim rationes non audit: indeque vix obtemperat, nisi religio vel magistratus vel Dei compellat.

DISSERTATIO VI.

In Jus Judæorum Canonicum.

זריזות

CANON VIGILANTIÆ.

SVmmo mane alacriter Judæi ad orandum surgunto.

Ad morum decorem spectat, civilem vitam ornat, & plurimum fortunam juvat, magnum rei familiaris præsidium, *mature surgere*, quin *animi præsentis* & in pigri atque *excitati hominis* signum est. Uti in diem stertere est frigidi, abjecti, virtutis & honestatis pertæsi, vel imperiti. Unde philosophorum & bonorum quorum-

rumcunque virorum, poëtarum, hiſtoricorum, ad vigilantiam & ſolertem auroræ uſum, penetrantiſſima mille calcaria: Quod illud diei tempus primum, totius naturæ beneficio, & ingenio & labori & corpori ſit accommodatiſſimum. Cum igitur *contemtus* & *paupertas* animum abjiciant, meticuloſos, ſubtriſtes & ſomnolentos, tardos ac pigros plerosque, & ad agendum fere ineptos reddant, expreſſo canone tarditati vulgi prudentes ſuccurrêre populi duces. Pauci enim ſunt, quos dura premit egeſtas, qui ſponte animum ſumere, conſiliumque capere & ſolertiâ damna ſua levare ſuſtineant. Res quippe anguſtæ anguſtum reddunt pectus, & conſilii expers. Illis ergo præ ceteris ex præſcripto vivendum.

Maturus vero Dei conditoris cultus, primus mature ſurgendi ſcopus. Siquidē agnoverunt præſides, niſi *mature* animū colligat quisque, & virtutis tramitem ingrediatur, quin & *quæ ad preces & cultum Dei ſpectant*, conficiat, ingruentibus mox quotidianis diurnis negotiis animum facile retineri, ſpiritus & affectus turbari, & â religione æque iſthac atq; virtutis curâ ſubito

bito abſtrahi. Quod pronum ut eviteturn periculum, *ſummo mane* bene mentem componere, & ſpeciatim ad preces ſe conferre ſuaſerunt, ut Dei conditoris prima haberetur cura, *animo adhuc à curis diurnis libero*, & ad orandum ac meditandum aptiore. Senſibilium enim rerum objecta quem ſemel occuparunt animum, tenent, & difficulter linquunt, ut ſe ad Deum, à quo omnis diei & vitæ fortuna, in diei ſtrepitu vertere ægre poſſit. Devotioni igitur deſideratæ, quæ divinam gratiam exoret & providentiam ſibi vindicet, cum frequentia injici de die obſtacula viderent antiſtites experti, canon cavit, ſumo mane ante omnia Deum adirent de ejus auxilio futuri certi, ne imprudentes in plebe negligerent religionē, quam prudentes & religionis obſervantes ſponte cum ratione attendunt. Nec deſunt inter Judæorum Canoniſtas, qui imperatæ huic vigili curæ, plebi ſuadendæ, rationes ex Scriptura petitas jungant. Ut ſint exempla Davidis, Pſ. 57,9. 72,5. 42,9. Thren. 1,2. 2,19.

Rigidiores ac *religioſiores*, quo populum ſerio invitant, ut Antiſtites vellent eſſe omnes, omnibus ſepti-

ſeptimanæ diebus , excepto Sabbato & diebus feſtis, *media nocte*, vel ut alii indulgentiores largiuntur, hyeme præſertim, ſub finem vigiliæ tertiæ, ſe è lecto ante auroræ ortum, ſubito proripiunt, ad peculiares preces & ſingularem meditationem ſcripturæve lectionem, ad auroræ ortum continuandam.

Preces ſiquidem illæ, profundæ *noctis*, lacrymoſæ, meræ querelæ, ſuſpiria, lamentationes, lacrymis miſcendæ, *ob templum deſtructum*, exulantemque in gentis exilio Dei gratiam. Ut pœnitentiæ habeantur cal aria ſalſæ lacrymarum undæ. Quibus juncta *vota* triſtia & impenſa *pro* delendis hoſtibus, â quibus captivi teneantur, & *reddenda terra avita.* Se nempe provolvunt ad ſacram Meſuſam celebratamve fidei ſuæ confeſſionem, membranæ inſcriptam, ſpei ſuæ teſſeram, in limine forium perpetuo reconditam, & ſic procumbunt ad fores conclavis, prope ſacram Meſuſam, exuunt calceos, pedes denudant, caput obnubunt, cinere frontem adſpergunt, caput inclinant & in ſolum proſternunt, amare plorantes. Quales gemitus, exulumque triſtes ſu-

ſurri,

ſurri, fuſe præſcripti præ ceteris a Rabbi Jitzchack Lurja, qui tanto in lucem hodie frequentius revocantur, quanto vicinio-rem ſperant & expectant gentis in patri-am reditum. Intempeſtam autem no-ctem his querulis vocibus & ſuſpiriis de-ſtinari, ratio haud obſcura, quod *intem-peſta nox* ſit tempus ſolitudini & tenebris dicatum, triſtitiæ, dolori & lacrymis ma-xime tempeſtivum. Quales gemebun-dæ voces, ex terrore noctis, præſentibus aliis facilius pares lacrymas excutiant. Deinde, has *querelas celare*, & ad genti-um, ſub quibus captivi detinentur, noti-tiam non permittere, adeoque nocturnis tenebris condere conſultum viſum. Ac-cedit, quod exilium ipſum, quod deplorant, referat caliginis denſæ indolem. Symbolũ igitur exilii nocturnis umbris repetunt.

In *ſcriptura*, à lacrymis deterſis, cer-tas *legunt* ſectiones, veluti, *De ligatione Iſaaci:* Qua teſtentur, ſe in exilio inſtar Iſaaci ligatos, paratos vitam profundere, cum Iſaaco, pro Deo ac avito cultu ſacro: Sed & cum Iſaaco ſe credunt hæredes mox futuros. *De Manna*, quâ fidem, ſe in exilii deſertis non expiraturos ſed â Deo in exilii difficultate & miſeria ſervatum iri, ape-

riant.

riant. *Decem præcepta*: Quibus in Judaica ſua profeſſione confirmentur. *De ſacrificiis*: Qua lectione tum veteris cultus recordantur, tum eodem modo ac ſi revera ſacrificia obtuliſſent, ſe expiari ſibi tanquam in ſomnio perſuadent. Addunt aliqui, & his noctis horis, lectis ſcripturæ ſectionibus, Talmudis legendi & ruminandi ſtudium. Non ſolùm quia hoc tempus ſtudio literarum ſit aptum natum, ſed & quod interdiu & doctos inter judæos commerciis ſæpe abſtrahi ſit periculum. Ut præſtet prævenire, quam fruſtrari. Ad quam nocturnam devotionem promovendam, ne ſomnus fallat, gallum nigrum gallinaceum alere, qui cantu media nocte excitet, ſuadent, vel hominis excitaturi opera uti, vel utroque abſente, haud molli incumbere lecto ſed duriuſculo, velut ſcamno, pedibus defluentibus, ut ſopor facilius delabatur aut excidat. Uti Philoſophorum doctorumque virorum multi, iisdem & ſimilibus aliis mediis propellendo ſomno uſi. Similiter, ut ſomnus ſit placidus, nec nimis tenax, cum mature ſit ſurgendum, cœnam commendant breviorem & tenuiorem, parcioris cibi

& po-

& potus; Cum utriusque abundantia somno profundius sepeliat, aut inquietudinem pariat, somnumque convellat, adeoque mature prorepere vetet.

DISSERTATIO IV.

In Jus Judæorum Canonicum.

צניעות

CANON VERECVNDIÆ.

ANte matutinas preces ordine atque plene se vestiunto.

Modestia & *verecundia* singularia hominis sunt decoramenta, prona honestatis exordia, prima virtutis semita. Verecundia comes benignæ fortunæ, quæ à mille suaviter abstrahat in vita sceleribus. Qui verò verecundiam semel deposuit, in omnia prono lapsu incautus ruit scelera obvia. Perfricta frons omnis periculi

culi & damni fons est. Habet autem pudor faciles motus, ut, ni caute observetur, tacite sensim sensimque non observantibus excidat, colorem amittat, & sine pudore sceleribus cedat. Quem non pudet, nec pœnitet facti. Quem non pudet nudi sui corporis, nec pudet pudendæ actionis cujuscunque, venereæ & voluptuosæ, nec oris impuri, nec maledici, nec pudet ignominiæ. Urit & furit.

Solet autem *longa inprimis egestas* & tenuis vitæ conditio primam *verecundiam facili negotio exuere* atque prorsus pessundare: Ut nudo & neglecto corpore depositum pudorem sine pudore testentur: Vilescunt pretiosissimæ hæ virtutes, quæ ni crescant, cum ætate in lolium abeunt, neglectu, in vili rerum habitu atque fortuna. Raro infimæ sortis homines cujusquam pudet, impudentia illorum nutrix. Judæorum igitur, *in captivitate longa* neglectorum, res tenuissimæ omni pudori atque modestiæ valedicere jusserunt. Ne igitur decentissima *verecundiæ virtus*, honestæ vitæ anima, *in exilium* inter palantes Judæos abiret, ab exilio revecanda animi modestia, & ad *honestatis ac decoris*

studium

ſtudium repetendum ac retinendum excitandi exules.

Idque iterum penetranti legis & *religionis nomine:* Ut tanto major vis ineſſet regulæ, quam fugitiva & vaga turba erat vix ac ne vix quidem obſervatura, *fortunæ conditionem tenuiorem*, adeoque amictus neceſſarii defectum prætexens.

Reverentia pariter *erga Deum in precibus* nuditatem corporis tegere jubet. Quoniam quod natura ipſa opertum voluit, coram Deo aperire nefas. Et ſicut natura cauta ſollicite cavet, ne *coram hominibus* retegatur corpus incuſſo rubore, fugâ injectâ, latibulo imperato: Ita & *coram Deo* non amicto corpore comparere, eſt ordinem ipſius perfricta fronte contemnere. Unde ſicut ſervus coram Domino ſuo conſiſtens ſe potius ornat, tantum abeſt, nudus aut lacerâ veſte compareat, â qua abhorreret herus: ita & devotio in precibus coram ſummo Rege, faſtu carentem, ſimplicitate innoxium, nativum decorem, tegumentum, maximopere requirit.

Quoniam porro *externa*, quæ hominem circumſtant, *animum hominis valde* affi-

afficiunt : nuditas animum viri in angustias redigit, metum incutit, & fugam semper consulit. Ut sagaci quodam instinctu naturæ, pudoris amantissimæ, & hominum & Dei conspectum nudi formidemus. Vicissim integer amictus & decorus vestitus pectus viri quodammodo armat, moderatam fiduciam & honestam audaciam confert, in conspectu aliorum promte & sine metu aliquid agendi. Quandoquidem ergo nuditate vir honestus deterretur tum â conspectu honestorum, tum ab actione publica, quæ animum præsentem, metus expertem requirit : Similiter, & à Dei conspectu ac precibus avocatur, pudore & metu tacitè retractus : Non male consultum est ab Antistitibus plebi judaicæ, in qua *ob paupertatem pudor pene expiraverat, expresso canone : Ut ante preces corpus vestibus bene tegant.* Quo pacto tenax devotionis impedimentum oblique averti, & ad preces fundendas nativam promtitudinem, atque modestam & submissam animositatem, occulte suppeditari animadverterunt.

Neque verò Præsidibus Judæorum

satis, plebi imperitæ & impudicæ pudorem & verecundiam decenti ante preces amictu nude commendasse, consulendum simplicitati credidere amplius, pudoris studio distinctius circumscripto.

Ante omnia proinde diserto canone cautum, *Ne quis nudus eo lecto surgat.* Quippe quod frequens nuditatis conspectus sit proxima pudoris exuendi ansa, & certa impudentiæ genitrix. Cum, qui vitat occasionem, vitet & peccatum: impudentia verò in sinu gerat illicitam, intempestivam, & nocivam voluptatem. Judæorum autem pars, ut & Europæorum, superioris quoque Germaniæ, non minima, ex lineæ supellectilis parsimonia, sine induisiis lecto condi sueta. Hinc periculum, hinc Judæorum canon, hinc verecundiæ commendatio.

Affini exinde canone, *Induisium sedendo induere negatum.* Cum in lecto sedere, & induisio se amicire, parem facile generare videatur inverecundiæ ansam.

Quamobrem *inclinato adhuc corpore, capiti induisium injicere, brachiis exsertis excipere*, imperatum, *ut, dum surgant, prolabente veste corpus tectum* deprehendatur.

Tam

Tam cautam religioſitatem exuli Judæorum genti, in ſordes proclivi, imperavit impenſus antiſtitum in gentem ſervandam amor. Nec enim ſatis caveri poſſe exiſtimarunt, quod nunquam ſatis vitari animadverterunt. Et levis indulta voluptas haud temere viſa eſt corripere mox corpus animumque, ut conſuetudo rei, levis viſæ, mentis integritatem invadat & corporis incolumitatem convellat & quaſſet.

Temeritatis verò pallium, & licentiæ occupatæ prætextum, quaſi nullo præſente nuditas nec dedecori nec periculo eſſe, nec inhoneſtatem notare videatur, removent aperte circumſpecti Judæi, expreſſa religionis cautione. *Nec quisquam*, ajunt Præſides, *in hoc ruat mentis faſcinum, & impudentiæ indultæ velum: Non in conclavi remoto & clauſo exiſtere quenquam, qui videat & obſervet: Siquidem & abſente omnium hominum conſpectu, Deus omnino præſentiſſimus.* Quod, pro indulgentiæ fœdæ velamine, validiſſimum injectum temeritati & impudentiæ frenum. Quod enim pro naturæ fraude, omnium licentiam aucupentur, qui virtutem negligunt, modo

conſpectum hominum facinus fugiat: Hoc flagitiorum tegumentum detrahendum autumarunt judices. Sic tenuia hæc & fugacia licentiæ temerariæ vela detrahunt, qui corpus nudum ſollicite tegere ſuadent. In Dei præſentiam, in Dei frontem apertiſſimam, in vindices Dei oculos, ſuos vocant: Qui Deum revereri diſcant, qui ſibi, h. e. pudori, honeſtati & incolumitati ſuæ non parcant. Pœnam temeritatis Deum omnino ſumere à ſui pudoris prodigis.

His decorem jungunt in reliquo veſtitu accingendo, ne quid dedecoris ex negligentia ſubnaſcatur. *Veſtes*, ajunt, „*ne inverſas, ſed ſuo decenti ſitu ac habitu induunto.* Cum negligentia, quibusdam adnata, vel & ex penuria profecta, facile committat, ut in veſtium uſu ipſoque amictu quid indecori compareat. Et hujus pudere Judæos dum volunt, omnis generis in corporis habitu honeſtatem commendant, quæ & animum afficiat & externis ſimilem reddat. Compoſitus quippe habitus compoſitæ mentis index.

In *calceorum* plane *cincturam* quod deſcendant Canoniſtæ, quam circumſcribam aperte

aperte, non mirum, qui nihil intactum relinquunt, quod ad Judæorum faciat commoda. *Dextrum calceum prius, dein ſiniſtrum induere, lex illorum jubet.* Et, ſi, ut in oriente, loris ſint adſtringendi, calceus dexter indutus non adſtringendus prius, niſi & ſiniſter ſit pedi applicatus: Quo facto, dexter calceus prius adſtringendus, poſt ſiniſter. Rationem quidem ſuggerunt ipſi, ex prærogativa dextræ derivatam. Sed hoc lorum non videtur ſtringere, cum conſuetudini dignitatem dextra debeat ob beneficium naturæ, quæ uberiori exercitio cum annis dexteram reddat robuſtiorem, agiliorem, promtiorem. Quin ergo, boni ordinis gratia, quo prius utendum prius eſt ad uſum componendum. Nec ergo major dignitas ſed major & prior uſus, dextrum prius adaptare pedem ſuaſit. Vnde vice verſa *in exuendo calceum ſiniſtrum prius ſolvere & exuere* jubent, ut dexter pes, ſi forte ejus adhuc foret improviſus uſus, poſtremo exarmetur.

A pedibus ad capitis tectum quod poſtremo iterum aſſurgant, & *Nudo capite incedere & vel quatuor paſſus conficere vetent*, par cura effecit decoris & ſa-

nitatis: Cum caput facile à novo aëre ambiente afficiatur. Vnde catharri. Quamobrem hoc ſtatutum, ad liberum aërem, extra conclave aut domum, reſtringitur, ut ſub dio nec totidem paſſus conficere nudo capite liceat: In conclavi verò aut domi rigor ille exulet. Nec enim in eodem conclavi & ædificio tam diverſus ſtatim aër ac foris ſub dio. Velut, quando ad Synagogam eſt properandum, aut nomen Dei appellandum, quod nudo capite interdictum, niſi in caſu neceſſitatis: Quo nec valetudinis ratio haberi queat. Pro capitis tegumento non mitram aut pileum cujuscunque materiæ, duntaxat habent; ſed & capillitium peregrinum, *perruque*, hodierni Judæorum Canoniſtæ ejus loco admittunt, & caput eo tectum aut opertum æſtimant. Nihilominus, ſi fieri poſſit commode, cum peregrini illi capilli oculos facile fallant, declinare uſum illo caſu ſuadent.

Quin imo totum inceſſum primum à ſomno & lecto quod curate metiantur, *Non erecto ſtatim corpore incedendum eſſe*, ſtatuentes, valetudinis amor ſuaſit; Cum à longa noctis conſuetudine, quo corpus va-

rie jacuit inclinatum & incurvatum, ſubito & momento erigere caput omniaq; membra, valetudini officiat: Quæ ſenſim erigere & extendere, rectoque ſitui reſtituere ſalubrius. Tametſi Judæorum Canoniſtæ devotionis ante preces argumentum in eo fruſtra venentur, aut periti, veram rationem in gratiam imperitæ plebis diſſimulaturi, alteram ſubſtituerint, plebis captui magis accommodatam, ne Dei præſentis dememinerint, quam memoriam humili inceſſu teſtentur.

Huc pertinet denique, quod poſt plenum amictum *orientem & occidentem verſus circumſpicere* jubeant. Quod quidem promptitudinis eſſe indicium fatentur, ſed & valetudinis eſſe adjumentum, ut corpus ſenſim in motum reducatur, liquet. Quanquam boni ordinis hoc ſit præſidium, mature, mane, quando quis poſt ſomnum velut in orbem reſurgit, circumſpicere, quod momento fit, de orbe & ſitu orbis ipſo: Maxime cum plagarum mundi notitia vitæ negotia & caſus diurnos ſæpe juvet, Judæos præſertim, qui, oraturi, ad orientem, ut aliàs dicetur, faciem vertere juſſi.

DISSERTATIO VIII.

In Jus Judæorum Canonicum.

בריאות

CANON SANITATIS.

ANte preces naturæ onera deponunto.

Etiamsi natura ipsa, satis cauta, abunde videatur urgere, & naturæ peritus non nesciat suo obtemperare tempore, ut corporis excernat sordes, nasi puta & oris humores superfluos exspuendo, exscreando, omnemque pituitam emungendo: Nihilominus, quia maxima turbæ pars, in exilii præsertim hujus carceribus, imperita sordidaque, ignorat, quantum officiat sibi ac sanitati, dum naturæ urgenti non datur locus, disertâ publicâ lege tenerrimæ & nutanti corporis sanitati servandæ consulendũ esse intel-

tellexerunt. Non enim ſolũ durum & tenax obſtructionum eſſe periculum, ſed & ſinuoſos & ægros flatus cerebrum petere ac nebulis opplere: Indeque ſerenos ſpiritus turbari, mentis officia hebetari, judicii ingeniique lucem obfuſcari, corpus laſſari, graveolentiam oris gigni, variisque & incorrigibilibus morbis, ligamentis quoque ruptis, corpus infici & proſterni, ex retento quidem naturæ onere, naturæ periti & experti agnoverunt judæorum Seniores. Nec enim ſunt immemores, quantum ſupina *primæ juventæ negligentia* obfuerit ætati univerſæ, quando primis annis pueri neglectim habiti, non excernendis capitis pectoris ventrisque ſordibus ſatis aut recte aſſueti, cum annis vitia contraxerunt nulla poſtmodum arte corrigenda. Vel naſi, & oris & gutturis meatus, lento humore obſtipati, quam vel vocem hominis difficilem, aſperam, dicenti & audienti moleſtam, motu deſtitutam, horridam plane, & vitæ ac negotiis inimicam, producant, vel ſolius catharri exemplo didicere. Cui fugaci malo cum ſit remedium, radicato & ex teneris unguiculis aſſervato & condenſato, nullam ſæpe ſu-

ſupereſſe medicinam experti. Ut os compoſitum, faucesque in puero maturâ conſuetudine formatæ, ita ſonant in viro & ſene. Et parentum ignorantiæ, & nutricum temeritati, & primorum præceptorum negligentiæ, vitium communiter plerique debent, quod nec ars nec ætas emendare poteſt. Animadverterunt, vel uſu edocti, quam inexplicabile ſit converſationis & fortunæ damnum, non clare, non aperte, non diſtincte dicere, ſubmurmurare, voces cum limo hærente deglutire, tonum premere, ſonum mordere & faucibus recondere. Quippe quod actionum & commerciorum humanorum hoc ſit impedimentum manifeſtum. Quoniam dicere & audire, magnum vitæ abſolvunt ambitum. Ut dicitur, ita auditur, ita obeditur, ita vivitur; ita vel multum vel nihil dicitur, nihil multumve efficitur. Hæc igitur juventutis primæ exercitia, vel obſervata vel neglecta totam dein vitam vel ornant vel dehoneſtant, vel adjuvant vel impediunt. Cujus memores Judæorum præſides, & in viris ſubmonent, quod in pueris obſervatum aut neglectum. Quare moderate tentare excretio-

cretionem ſingulis ſuaſerunt diebus, mane, veſperi, & meridie. Cum, in viris præſertim ſenibusque, bona, certis diei intervallis ordinarie determinata, naturam onere levandi conſuetudo plurimum corporis juvet promtitudinem, actionum agilitatem, dictionis ſuavitatem mentisque ſerenitatem. Sicut viciſſim, ordinem negligere, & nulli adſueſcere tempori, eſt moleſto onere retento corpus reddere grave, moleſtum, languidum, torpens, animumque malis & triſtibus involvere nebulis, quæ & triſtitiam, dolorem animi improviſum, impatientisque affectum gignant.

Neque vero diei intervalla, oneri deponendo aptiora Judæis viſa, quàm mane mox â ſomno, & meridie, ac veſperi, ante & poſt cibum denuo ſumtum. Unde decoris porro, atque melioris ordinis habita ratione, ante preces id agere juſſerunt, cum maxime poſt preces negotia paſſim obvia facile hoc officium impediant.

Nec negandum, ſpiritui etiam hominis, meditationi ac devotioni, ingens poſitum eſſe obſtaculum, ſi corpus & caput repletum ſit & diſtentum pravis exhalationi-

tionibus, ex retenta naturæ mole oriundis. Serenitatem autem atque intentionem, mentisque & animi præsentiam, adeoque ipsam devotionem, admodum juvat integrior sensuum constitutio & cerebrum serenius, lentis humoribus & crassis nebulis non nimis oppletum. Quæ omnia veteres moverunt, ut religionis nomine hoc naturæ levamen ante preces severe injungerent, dicentes, purum oportere coram Deo comparere. Quò pro captu plebis, difficulter obsequentis, sacrum illi facturi fucum, traxere illa scripturæ effata, quæ Deum decenter accedere jubent. Quos enim non pudor, non honestas, non sanitas, moveat, illos ut legis veneratio compellat.

Veterum quidem Canonistæ non silent *consuetudinem*, qui, naturæ facturi satis, dixisse ante ingressum feruntur: *Salvete honorati, Deo addicti, expectate obsecro, donec à naturæ officio redeam, cum hoc opus sit humanum & naturale.* Quam orationem angelis sacram fuisse venditant aliqui. Veruntamen, si majorum scopus spectetur, primi formulæ modestæ autores, ita *compellandos esse viros honestos, si qui adsint*, suasere, *antequam* præsentes dimittat

mittat & *fecedat*. Subindicaturi, ſatius eſſe, & præſentes alios quoscunque honoratos viros veniâ rogatâ dimittere, quam naturæ retinendæ injuriam inferre: Præſtare, abire ex cætu, cum excuſatione, quam abire ex vita. Nec inhoneſtum eſſe reputandum, excuſare diſceſſum, & dimittere tantisper amicos & viros graves, & qui ad reditum uſu abeuntem expectent humaniter rogare. Nos diceremus, ut dicunt alii: *Cum venia*: Vel, *ignoſcite abeunti, mox reverſuro*. Modeſtiæ proinde & humanitatis illa apud veteres formula. Quæ tandem ab imperitis Judæis ad angelos deflexa, quaſi illi ante fores ſubſiſtere juberentur. Vnde iſtam dicere orationem aliis tandem negatum, præter admodum religioſos, qui angelis ubique cincti credantur. Veteribus civilitatis & reverentiæ indicium, recentioribus religionis factum argumentum. Sic hodie in deſuetudinem venit, ut multæ civilitatis teſſeræ per longam conſuetudinem vel & abuſum tandem expirant. Cujus deſuetudinis illi rationem reddunt, quod arrogantiæ foret, ſe iſtis ubique cœlitibus cinctum credere, adeoque illos ſic

ante opus alloqui. Quin potius prudentum consilium impedivit, ne, cum veterum civilitas in religionem abiisset, religio in superstitionem & angelorum cultum degeneraret, malumque ex malo per plebis ignorantiam crescere, unde corruptum jam morem plane intermittere, satius creditum.

Posthæc verecundiam *in sede*, severe imperant. Qui ne nudare corpus permittunt, ante quamquis consideat. Quæ reverentia & duos simul illuc commigrare negat, multo minus ibidem colloqui, quin fores claudere jubet. Id quod manifestis effatis injungunt Judæorum antistites, non inscii, quæ sit vulgi & rudis populi intemperantia, & dicendi agendique impudentia.

Propius Judæorum sollicitudinem attingere, & quousque viro ac feminæ se præ verecundia retegere fas sit, ex illorum instituto determinare, verecundia & nobis interdicit. Sufficit, antistites omni modo inverecundiæ & petulantiæ inconditæ plebis, in exilii neglectu, obviam ire, & occasionem peccandi sanitatique officiendi præcludere.

Faciem

Faciem quod vertere jubeantur, ſive n campo, ſive intra parietes, non verſus orientem, neque occidentem, ſed vel meridiem vel ſeptentrionem, quodque ſedis cancellos ita exſtruere teneantur, ut facies vel Septentrioni vel meridiei obvertatur, non orienti vel occidenti, orientis venerationem tegit. Qui cum orienti immineant, & ſpei ex his terris in orientem aliquando commeandi, illam cœli plagam nec indecoro corporis ſitu dehoneſtandam rentur. Qui à decoro alienum autumant, unde honorem expectent, illuc obvertere tergum vel naſum: Quo in precibus oculos ſemper flectant, illuc & alios mittere ronchos. Ut plebi nihil indulgent, quod vel ſpeciem mali habeat ominis. Quod orientis æſtimium & ſpei ſuæ veneratio, pari intentione eos per canones arcet, ne & thalamum locent conjuges ab oriente ad occidentem, aut ab occidente ad orientem: ſed inter Meridiem & ſeptentrionem.

Dexteræ verò uſus interdictus, vah! quot rationibus? pars phyſicæ, pars ſunt morales! Tum quod dextera facile admoveatur ori, utpote quod & munditiæ & ſa-

& ſanitati obſit: Tum, quod illa utantur ad res ſacras conficiendas, quæ puritatem poſtulent, ſcribendo, religioſum ornatum fronti & brachio applicando, & digito ſeriem textus ſacri legendi monſtrando.

Inprimis lege cavent, ne minor nocte quam interdiu ſit verecundia:: Ne tenebrarum videatur major indulgentia, & in caligine peccandi uberior & tutior licentia.

Et manum de tabula, ajunt „ pro lotio, nec niſi extremis labris venia:: Ne manuum libertas peccet evagando. Atque ita omnis verecundiæ rigor valetudinis habetur mater, cum illum transgredi ſit in hanc peccare, quod non ultimum vitæ detrimentum.

DISSERTATIO IX.
in Jus Judæorum Canonicum.
נקיות
CANON MVNDITIÆ.

ANte preces, externas manuum quoque & faciei sordes lotione diligenter abstergunto.

Sanitas æque ac honestas *munditiem* corporis etiam *externam* postulant. Quare post somnum mature se mundare *sordesque omnes detergere*, honestorum est consuetudo. Tum quia *manus* puræ sint oportet, quas ad os & oculos frequenter admovemus, quibus impuritas valde noxia: tum quia in *ore* collecti corrupti humores, linguæ & dentibus adhærentes, salivam perdunt, adeoque ventriculo & concoctioni obsunt: tum quia *oculorum* spiritus frigidâ reficiuntur, ipsiusque acumen

ſervatur. Sordido itaque ex captivitatis ægritudine & moleſtia populo Judaico,& ſanitatis prodigo, etiam hæc decoris non magis ac valetudinis cura fuit â ſenioribus injungenda. Et quidem ſummo mane *ante preces*. Quia *maturè* hoc faciendum, ante quam manus faciei admoveantur,& priusquam negotia id impediant. Tametſi vero honeſtatis amor & valetudinis deſiderium hanc munditiem ſponte citra regulam imperent, *religionis* tamen & juris nomine plebi hanc curam injungendam viderunt Præſides. Præterquam enim, quod naturâ magna hominum pars ſit negligentior juſto, Judæique præſertim exules carceris diuturni ſordes præ deſperatione ferre ſueti, vitiumque adeo naturæ corrigendum lege, & tarditas innata extorquenda præſcripto: *Conſuetudo* quoque lege gubernata, ſuâ promtitudine *ordinem* rerum actionumque decentem generat. Cujus neglectus pœnam ſumit â viris etiam alioquin doctiſſimis, qui hoc ferunt elogium, quod ſtudiò ſordeant, *Seu* male, *ſeu* bene! *ceu* cerebro crebro ſtudio *ſus*.

Neque inficiandum, *frigidam*, quibus manus, os, totusque vultus abluuntur, *redde-*

re

dere hominem aliquanto *alacriorem*, lentore ex ſomno reliquo pulſo, & ſpiritibus capitis non nihil recreatis. Unde & ad preces major quædam aptitudo accedit. Corporis enim affectio atque conſtitutio, plurimũ vel impedit, vel juvat precantem.

Ceterum, ut *mundities ex lotione matutina ante preces*, quam partim honeſtas, partim valetudo imperat, *religionis* uberiorem apud Judæos pro Canone *colorem*, majoremque adeo *obligationem* inveniat, venditatur *antelucana hæc lotio par lotioni ſacerdotali veteri in templo, ante ſacrificia.* Conſtat, ſacerdotes, antequam ſacra facerent, ex pelvi prægrandi, ſeu mari æneo, juxta aram, manus pedesque ſuos eluere & perpurgare, ſeu ut vocabant, ſanctificare, quod eſt a ſordibus liberare; oportuiſſe, ut mundi, qui nudis incedere pedibus in templo tenebantur, comparerent, nec ſpectatores, ad aram advolantes, nauſeabundos abſterrerent, qui & ſanctitatem quam vocant ſive munditiem toto referrent corpore, ſacris maxime operaturi. Nefas certe erat ad aram accedere absque lotione prævia. Quandoquidem igitur hodie ceſſent aut exulent

ſacrificia, horundem *locum*, adeoque *totius cultus veteris ſacerdotalis vices obire preces*. Has tantundem apud Deum valere ac ſacrificiorum onera aris quondam impoſita. Parem igitur & nunc omnes puritatem ac munditiam referre debere, quotquot oraturi coram Deo ſe ſiſtant. Pari adeo modo & manus mane ante preces eſſe abluendas ex vaſe, uti quondam fecere ſacris addicti viri. Nec unius eſſe atque alterius, ſed *omnium*, qui à lecto ſurgant, ſive naturæ onus depoſuerint, ſive minus, manus ante orationem abluere, ſi detur aqua, cum omnium ſit orare. *Puri & mundi* ajunt *oranto*. Neque verò mundum & purum haberi, niſi lotum.

Neque hæc ratio ſola *religionem munditiæ ex lotione* injungit, ſed et altera accedit non diſpar. Mane, dum ſurgimus, quaſi de novo à Deo nos condi: cum infinita pericula, nocte nobis impendentia, facile nos extinxiſſent, niſi divina præcaviſſet manus. Ut haud aliter ac nova vita nobis mane reddatur, anima de novo nobis committatur, ac reſtituatur. At verò pro nova velut hac noſtri creatione teneri nos, velut novas creaturas, creatori devo-

devotas agere gratias, ejusque ministerio nos de novo mancipare, more sacerdotum veterum. Proindeque & ex hoc fonte, prisco sacerdotum exemplo, opus esse lotione antelucana, singulis diebus, *ut* & *Deus pro tanto beneficio laudari ac celebrari possit.* Imo, tametsi quis se nullo modo pollutum aut maculatum existimaret, nihilominus *lotione opus esse, pro symbolo*, ut oratio ad Deum fundi pro tanto vitæ redditæ beneficio possit. Tanti apud veteres æque ac nostros facta *puritas & mundities*, ut, ne consuetudo & neglectus situm contraheret & sordes gigneret, *divina* esset concilianda *autoritas.* Vulgus etenim rarò quid bene agit, & quod sibi vel maxime salutare, nisi religionis reverentia & sacer metus compellat.

Postquam igitur lotio *beneficium* habetur Dei, ut est profecto, *singulare*, quod non solum *honestati serviat*, sed *sanitatem* vel maxime *juvet*, quæ sordes tanquam sibi exitiosas fugit, *formula* aut *tessera* certa à viris doctis definita, quæ *pro divina laude*, *consecrationis loco*, magna devotione recitanda, quando manus lavantur: ברוך אתה ה׳ אלהינו מלך העולם אשר קדשנו

במצותיו וצונו על נטילת ידים: *Laudandus ac celebrandus ſummus Dominus Deus noſter, qui nos Judæos ſuis præceptis à ceteris gentibus ſejunxit, lotione manuum nobis injuncta.* Quæ *gratiarum* cenſetur *actio, pro* tam egregio & *ſalubri vitæ præſidio*, divinitus hominibus indulto, cujus immemores eſſe noluere antiſtites plebem negligentem, & præ conſuetudine parvi hoc ſalutis humanæ adjumentum facientem. Et à doctioribus quidem eâ devotione laudata recitatur formula, ut primum ſibi in memoriam ſymbolum revocent, à *Lilitæ ſordibus* manus purgari. Quod quidem per ſe idem quoad rem foret, ac manus a nocturnis exhalationibus, ſudore, aut madore liberari: Verum *ſymbolum* majoris creditur ponderis. Quando enim *Lilita*, vel *Liliſa*, nocturnum velut ſpectrum, *exilii* habetur *teſſera*, quippe quod *noctem* horridam & intempeſtam *captivitas* referat, indeque *miſeria gentis Judaicæ* in præſenti exilio *ſub jugo Europæorum* iſtâ larvâ nocturnâ deſignetur: *Lotione matutinâ* ſymbolum *ſpei melioris ſuæ fortunæ* aucupantur. Scil. ſe quidem ſub jugo Romano premi, & velut in umbra nocturna variis

variis modis maculari: Ut immundas vocant gentes: Veruntamen, ſicut manus eluant à ſordibus, ita ſe a gentibus diſtingui, à commercio eorum ſejungi, & à gentium jugo, moleſto & tædioſo, iri aliquando liberatum. Tam *benigni ominis* habetur a ſagacioribus *manuum matutina lotio*, ut ſymbolis ubique gaudent, *ſuarum rerum* faciem & *imaginem* ubicunque contemplati.

Præterea nec omine carere putatur quadruplici, *numerus vocum in conſecrationis formula*, qui inter orandum mente à ſolertioribus volvendus. *Tredecim voces, index* habentur *tredecim* divinæ *gratiæ & miſericordiæ teſſerarum*, Exod. 34, 6. 7. Qua de re in Amuletis *p. 152. ſeqq.* Quoties adeo mane manus lavant, formulâ recitatâ taciti *miſericordiam Dei pro libertate impertienda* implorant, ut velut ſub aqua lacrymis manus rigent.

Iidemque, *divinæ gratiæ* hoc indice inter lavandum memores, & devotionem ſeu *impenſum erga Deum amorem*, Deut. 6, 5. recolunt, ſibique hoc novo imprimunt ſymbolo, quod אהבה, *amor*, valeat 13.

Et tertium porro ſymbolum, quo

non nisi *unum* Deum se colere profiteantur. Quippe quod אחד *unus*, Deut. 6, 4. iterum valeat 13. Quibus accedunt effata, Ps. 134, 2.3. & Ps. 26, 6.7. quæ utraque *tredecim* constant *vocibus* Quæ oracula ominosa & rei præsenti habentur congrua: Ibi: *Attollite manus vestras puras, in honorem Dei, dicentes: Benedicat tibi Deus ex Zion, qui fecit cœlum & terram:* Hic: *Lavo, ut munder, manus meas, atque ita tuam ambio aram Domine: Vt gratias agam publice, tuaque miranda beneficia exponam.*

Tanta solicitudine tantoque numero aucupantur signa & *omina suæ fortunæ*, pristinæ, præsentis & futuræ, in lotionis consecratione & vel in ipso vocum ejus numero. Ut nihil apud illos vel fit vel dicitur in sacris, pro Canonico jure & decreto, quod non *symbolicum* & maxima ex parte sit *ænigmaticum*: Si non ex prima primorum antistitum intentione, posterorum tamen devotione, applicationeque arguta.

Suadet devotionis rigor superiori illi lotionis consecrationi statim attexere aliam *gratitudinis erga Deum tesseram, pro incolumitate corporis.* Qui enim à lecto naturæ

turæ onera depoſuerant, nunc *loti* primum omnium *memores* eſſe tenentur laudati ſupra *beneficii divini, ex incolumitate corporis*, quibus non *obſtructiones alvi & ureterum* damna crearint, & morte ſæpe ſolvendæ. Intelligunt, primum eſſe ſanitatis argumentum, naturæ meatus, nec mole nec ſaburra obſeptos, viam concedere, qua ſuperflua excernantur, ne retentis tum viſcera, tum præcordia, tum cerebrum, tum ſenſus univerſi graventur, infeſtentur & ſuis officiis priventur. Hic tenor eſt, ex ſententia & uſu accuratiorum: ברוך אתה ה' אלהינו מלך העולם אשר יצר את האדם בחכמה וברא בו נקבים נקבים חלולים חלולים גלוי וידוע לפני כסא כבודך שאם יסתם אחד מהם או יפתח אחד מהם אי אפשר להתקיים אפילו שעה אחת ברוך אתה ה' רופא כל בשר ומפליא לעשות *Celebrandus es, Domine Deus noſter, orbis moderator, qui homines ſapienter formaſti, variasque in illis pro excretione & retentione vias & meatus feciſti. Scis, potentiſſime Deus, ſi obſtrueretur vel unus horum canalis, aut plus juſto laxaretur, actum fore brevi cum ſanitate & vita hominis. Tibi, ô Deus, eſto gloria valetudinis apud omnes, & mirabilis conſervationis.*

Nec despuendus hic pro antelucana devotione sacer Judaicorum Antistitum canon, qui, conscii negligentiæ in vulgo, experientia edocti, plebis imperitæ miserti, frequentiorem *sanitatis curam*, & *valetudinis studium majus*, *suis* commendarunt. Quod plerique, sui corporis prodigi, nec *divinum bonæ valetudinis beneficium* agnoscant, nec observent; Quomodocunque demum ingurgatio cedat, ventrem stipet, vel temere solvat. Sic canon aures Judæorum vellicat, ut audiant salutaria de salute monita, ne contemtus aut neglectus dent justo Dei judicio ægritudine aut morte inexorabiles pœnas.

Argutiores & hic *symbolis* pro memoria usi, qui, pro formula numerata, *45. voces*, symbolum *Dei* beneficentissimi habent. מה namque, 45. pro יהוה ab illis frequenter constat substitui, *v. Ænigmata p. 158.* Memores præsertim esse jubentur oraculi divini, Deut. 10, 12. *O Israël*, מה *quid Dominus tuus expetit â te aliud, quam ut ipsum reverearis?* Similiter & vocem יצר, *creatoris* characterem, numero totidem valere monent, quot מצפץ, Dei insigne, quod idem ac יהוה *V. Ænigmata*

pag. 51. 52. Deum esse conditorem formatoremque ac parastatem valetudinis humanæ.

De cetero, ut & lotionis ipsius *ritus* & *modos* obiter contemplemur, ordinarie *vase* ante omnia opus habent, si datur. Et quidem quo alias ante prandium pro solenni lotione alterâ utuntur. Si vero *pelvis ad mensam* desit, nec mane illâ uti pro solennitate necesse. Necessitas enim & in defectu, ut in itineribus, caret lege. Lotio verò ad mensam, quæ & in itinere in hospitio, multo rigidior in quibusdam momentis matutinâ. Sicuti & aqua ad mensam purior multo requiritur quam matutina. Unde indulgentia, obviam mane quamcunque & sine vase aquam adhibendi, defectu melioris. Quo casu tamen consulunt, in formula consecrationis non dicere, על נטילת ידים, Deum esse celebrandum *pro lotione manus soleniore ex malluvio*, sed absolute, על נקיות ידים *pro mundandis manibus*. In voce namque נטילה *Netila*, Græcam originem venditant, qui ab אנטל *Antel*, *antlia*, uno fere derivant ore, *quartarium* esse ajunt, & per *gutturnium* reddunt: ἀντλία verò ab ἀντλέω *haurio*,

haurio, prono fluit alveo, ut non opus sit, multum hic exantlare laborem. Quanquam non ignorent peritiores, proxime נטילה *lotionem*, non a vase dici, græca originatione, sed à נטל *tollere*, auferre, quod a manibus lavando tollantur auferanturve sordes: tum, quod lotæ manus sint ad frontem elevandæ & extollendæ. Pro captu tamen plebis, quæ *vase* uti adsuescat, alludere potius ad vocem *antliæ* quondam libuit, ut quoties lavandas esse manus meminerint, & *gutturnii* memoria incidat. Quæ Canonistarum apta in gratiam plebis inflexio non insolens. *Pelvi* proinde si habeant, utuntor mane, pro excipienda impura ex lotione aquâ, *munditiei gratia*. Quam canon expresse injungit, *Ne pavimentum, ubicunq; lavare contingat*, domi aut in hospitio, *sordibus replento*, ne manus purgantes, ac eluentes, solum rustica illuvione fœdent, quam præsentium oculi magis horreant quam rusticas manus: Neve sues appareant, quos fugiunt, & volutabrum parare. Si careant, ut fit in itinere, quando è curru mane ante solis ortum desiliendum: pro injuncta ante preces qualicunque lotione: Necessitas isthæc abstinendi,

nendi, non peccat in legem: cum humum & agrum vel viam publicam lotione maculandi non sit periculum. Lutum namque det luto sus.

Lotio hæc matutina suos habet gradus, ut sit *curata*. *Tribus* primum *vicibus frigidam affundere* canon imperat, pro spiritibus, ut ajunt, malis, digitis ex nocte adhærentibus, dispellendis & abstergendis. Quæ repetitio tergemina negligentiam plebis coërcet, subterfugiendi hunc laborem, quæ extremis digitis aquam attigisse satis putet, sordibus retentis, illis innutrienda. Ne qua etiam lotio diu differatur, aut differendo plane effluat, sed maturetur, novo canone *vetitum*, *prius os*, *nares*, *oculos*, *aures tangere*, *quàm manus à malis liberatæ sint spiritibus aut humoribus & exhalationibus*, *è noctis umbra adnatis*. Quo sanitatis iterum rationem hic habent. Quam non dissimulant, qui multis *morborum* absterrent terriculamentis: Quod intempestiva & immatura illa illotarum manuum ad sensus capitis teneriores admotio, sensus facile afficiat & nervorum spiritus lassat aut turbet. Metum esse ajunt lippitudinis vel & coecitatis

tis, ſi tangantur oculi. Surdaſtros fieri poſſe, impuris manibus auribus purgandis admotis. Graveolentiam etiam oris, & naſi mucorem ſubire. Puſtulis & ſcabie genas & manus immunda manuum contrectatione infici.

Et *mallu-vium*, quod impuram excepit è manibus aquam, *non exonerandum* vel *in domo*, vel ubi frequens hominum commeatus, ſed in loco ab uſu & conſpectu hominum ſemoto. Sicut nec ad quemcunque alium uſum talem aquam pollutam adhibere fas eſt. *Munditiæ* partim cauſa, cum ſordidum ſit flumina limumque ciere, ubi ſiccum ſolum ſuadet decor: partim *ſanitatis* ergo, cum ſolum ſemper madidum fimum & mephitim tandem exhalet. Præter lapſus pericula: Incantationum metum addunt Canoniſtæ, quod vetulæ abuti iſto immundo e manibus liquore effuſo ſciant. Neque verò ſcelerii occaſionem ullam dare fas eſſe, ſed ſubtrahendam peccandi anſam.

Accedit *ordo* ex commoditate & decore, canone præſcriptus: Ut, quando frigida ex gutturnio manibus affundenda, *dextera prius* vas prehendat, ſiniſtræ cedat, quæ

quæ *infundat primum dextræ*: Dein dextra excipiat vas, infundatque ſiniſtræ. Quam *dextræ* inter eluendum *prærogativam* dum laudant, illuſtrant ſymbolo: miſericordiam Dei, dextræ comparatam, anteponendam eſſe juſtitiæ & vindictæ divinæ, ſiniſtræ exemplo. Quo ſymbolo ſe Dei miſericordiâ potius niti, in vita & exilio, teſtentur, quam juſtitiæ rigore. Malle ſe abſolvi & ablui miſericordiâ dextraque Dei, quam vindictam ſiniſtramve ejus experiri.

Nefas, ab immundo aut illoto, ſervo aut vicino, affundi lympham: Sed à mundato & loto miniſtrari aquam hero lavando, æquum habetur. Pro *honeſtate*. Quam ornant effato: Ez. 36, 45. *Effundam ſuper vos aquam mundam*: Non mundam ſolùm, ajunt, ſed & per mundos, non pollutos.

Et *bene fricare* mane *manus*, pro abluendis, rectève mundandis aut detergendis, ſerio injunctum. Ut trina & accurata vix ac ne vix quidem ſufficiat frictio. Quippe quod adhærentes ex ſomno ſordes difficulter abſtergantur, quantum ſatis. Nec adeo munditia hic ſatis exquiſita.

Ne-

Neque vero manus ſolummodo mundari deſiderant, ſed & os faciesque tota. Quare & *os* vultumque mane *eluere* Judæis ſuadet cum honeſtas tum corporis valetudo, ad rubiginem maxime dentium detergendam. Uſi & hac ratione: Ut Dei nomen puriſſimum puro efferre ore diſcant & adſueſcant. Quod tametſi moraliter intellexerint primi, oris caſtitatem atque integritatem ſuaſuri, ſymbolum tamen ejus, phyſicam *oris puritatem* commendavere. Quod ſi tamen ægritudo obſtet, quo minus frigidam quis ore aut in facie ferat, non obſtat, quo minus conſecrationis formulam recenſeat, vel manibus lotis.

Quod *munditiæ ſtudium* Canoniſtas movit, ut caſus aliàs quoscunque determinarent, quando manus abluendæ: A lecto, à latrina, à balneo, ab unguibus reſectis, à calceis exutis, à pedibus contrectatis, à capite fricato, à defuncti corpore tacto, à veſtibus expurgatis, à venere, ab infeſtis corporii animalculis extinctis, nudo denique corpore manibus palpato. Literatum, diſciplinæ immemorem, illiteratum excordem

junt, si negligant. Præterea & â sanguine numerotenus misso, ut & à tonsura, lotionis officium urgent, sub pœna *metus vagi*, qui negligentem corripiat, qui neciat quare metuat. Sic sapientes Præsules metu incusso cavent, ne temeraria sit negligentia.

Posthæc, lotionem manuum vultusque sedulam excipiat curata *deficcatio*, ac diligens detersio, sine qua nulla æstimatur puritas. Vrget & sanitatem canon, qui detersionem injungit: Sub periculi dictamine, quod vultus contrahat facile rivos, ut ulcera, quæ succo betæ curare oporteat.

Quod si contingat, abesse mane aquam, vel arena, lapillo, vel scrobe, vel ligni frusto, vel pulvere terræ, terendæ manus, aut si quid sit aliud quo manus radi queant. Dicendumque, cum non sit vera lotio, in consecratione, Laudandum esse Deum *pro manuum puritate*. Quanquam enim non tollat sordes, pro qualam tamen depuratione haberi debere, ut sacra fieri & preces fundi possint.

De cetero, lotioni sic consecrationem ex templo jungere fas fuerat. Verumtamen, cum vulgus imperitum, minus

exercitatum, facile impingat, data liber-
tas, vel ſtatim domi conſecrandi, vel ad
templum vel ſynagogam, quæ mox invi-
ſenda luce orta, differendi, ut cum reli-
quis divinis precibus ſimul in Synagoga
recitetur. Data hæc venia plebi, quam
neceſſitas extorſit. Quin imo, ſi qui
rudiores conſecrare neſciant, in Synago-
ga conſecrantem audire, & *Amen* reſpon-
dere permitunt. Quod ſi vero domi officii
um jam ſit præſtitum, in Synagoga re-
petere vetant, cum ſit ſuperfluum. Mo-
ris autem paſſim hodie, ut â plerisque lo-
tionis conſecratio differatur in Synago-
gam, ubi clara aliquis voce accinat, o-
mnibus reſpondentibus Amen. Ita, u
quisque tacite dein ſequatur, ſi velit
quod ſuadent, & apud plerosque moris
& eandem formulam ipſe recitet. Ac
quod tamen non obligatus cenſetur, cum
ſufficiat, clare præeuntem diſtincte audi
viſſe, ac corroboraſſe ſueto epiphonema
te Amen.

Quod tunc demum indultum, quand
præcentor hoc munus ſubit, qui pro o
mnibus officium præſtat. Quoniam ve
rò ille non ante ſacra inchoat, quam de
cem comparuerint, fit, ut dum pauciore
adſun

adſunt, aliquis alius aſſurgat & recitet. Quem ſequantur tacite præſentes. Ita cum tempore aliqua ſurrepſit negligentia, quando olim, qui callerent, domi conſecrarent, nec niſi imperiti in Synagogam, ubi pro ſe diceretur, differrent: Nunc verò, cum imperitis non pauci peritiores in publicum ablegent locum.

Interdiu, quoties natura exonerata, manus quidem lavandæ, & orandum ſueto more pro beneficio excretionis, ſed conſecratio non repetenda, cum ad horas matutinas primamque lotionem ſit reſtricta, quando Deo pro vita reddita gratias agere imperatum.

Ne quid verò ſuperſit in tota hac antelucana munditiei cura, ſeriem obſervaſſe totius apparatus juvabit. Poſtquam evigilatum, ante lectum linteolo oculi molliter abſtergendi & velut aperiendi rectius. Mox paululũ ante lectum conſidendum. Dehinc ſenſim corpus erigendum, & aliquantulum incedendum, paucis paſſibus. Veſtes ſtatim induendæ, cum cingulo ſueto ſeu *faſcia*; caput tegendum, ut mox ſecuturæ conſecrationum formulæ recitari poſſint, quas aperto capite re-

cenſere nefas. Nec plures ſimul veſtes accingendæ, ſed ordine, dextro primùm ſemper inſerto brachio. Par ratio calceorum. His rite confectis, manus ad flexuram absque mora lavandæ, gutturnio in dextram primum effuſo, dein ſiniſtram, idque ter. Manus bene lotæ detergendæ: tunc facies quoque lavanda. Sic denuo tinctæ manus madidæ attollendæ ad frontem, dein pandendæ, & conſecrandum devote. Folmulæque plene ſine mora indivulſo nexu commemorandæ. Si quid autem forte incidat ſermonis aut orationis alterius, lotio non repetenda, cum interruptus non æſtimetur actus. Unum illud humanitatis officium, licite injectum, ut *ſalutetur* interea alter verbo צפרא טבא *bonum mane*, non rumpit ceremoniam. Sed & *clara voce* domi hæc dicenda, pro mente magis excitanda.

DIS

DISSERTATIO X.

In Jus Judæorum Canonicum.

לימוד

CANON DILIGENTIÆ.

SVmmo mane ſtudiis & meditationi invigilanto.

Qui honeſtatem atque valetudinis curam urgent horis matutinis, non *ſtudia & meditationes antelucanas* diſſimulant. Quando enim *literæ, omnisque honeſta diſciplina*, æque Judæis cordi ſunt ac aliis populis, non neſciunt, *matutinum tempus* longe illis eſſe aptiſſimum, cum ex ſpirituum & cerebri ſerenitate, tum rerum & diurnarum curarum fuga, & vegeta corporis conſtitutione.

Literati proinde apud Judæos cum præ ceteris per Canones ſint obligati ad

mature ſurgendum, dum evigilant, tenentur ſibi ſtatim in lecto in memoriam revocare *Dei venerationem*, ejusque præſentiſſimam *gratiam*, qui animam vitamq; conſervarit ac reſtituerit, in tantis caliginis periculis. Inque ipſo ſtatim lecto hoc ſuæ *devotionis* edunto teſtimonium: מורה אני לפניך מלך חי וקיים שהחזרת בי נשמת בחמלה רבה אמונתך:

Te celebro, regem vivum & æternum, qui reſtituiſti mihi benigniſſime animam meam! Magna omnino eſt tua gratia. Quanquam verò manus nondum laverint, cum, vix dum è ſomno ſuſcitati, *adhuc in lecto* hæreant, hoc tamen ſuæ cognitionis & *fidei* in ipſo etiam cubili edere *argumentum* juſſi. Quod enim nomen Dei in formula expreſſe non compareat, ante lotionem dicere fas eſt.

Primum dehinc *in ipſis etiamnum plumis meditationis exordium* ſit, quando læti *corporis animæque vinculum* adhuc *ſalvum* meminerunt, certo *ſymbolo* mente voluto. Statim enim â ſomno, animo quisque concipiat *nomen ſuum proprium*, quaſi coram ſe *ſcriptum* ſuis literis, *mixtum* literis vocis נשמה *animæ*. E. g. ſi quis dicatur

catur משה, talem nominis ſui cum נשמה

mente verſat mixturam: מנשׁשׁהמה.
3 2 1

Vel, ſi cui nomen יצחק, unio cum נשמה
4 3 2 1

talis: נ״שׁשׁ״מ״חק Quæ *combinatio & coagmentatio nominis proprii cum voce animæ*, meditatione primo mane repetita, magni habetur uſus. Partim, quod *corporis*, cujus index proprium nomen, *cum anima vinculum* integrum & intemeratum divina gratia ſervatum deſignet, partim, quod talis conferruminatio *memoriæ* integræ & *incorruptæ* per noctis injurias & morbos *ſervatæ* ſit *argumentum*, partim, quod talis ſupputatio *judicii non quaſſati* aut luxati ſit *indicium*, cum habeat rationem numerorum & arithmetices. Vt *mens hominis* ex tali diſtinctione atque conſociatione literarum, veluti tenui argumento, *in uſum* ſuperiorem *redeat*, aut redire deprehendatur. Eſt itaque *hæc meditatio* levicula *primum experimentum ſanæ rationis*, per *noctem non temeratæ*. Cujus ſenſus pariat gaudium, ſenſibus internis æque ac externis ſervatis illæſis. Præcipue verò mature formatur idea, & quaſi præludium, ac præexercitatio ſacræ & hieroglyphicæ

combinationis divinorum nominum, 4 3 2 1 יאהדונהי & יהוה אדני, *gratiæ* & *dominii*, 4 3 2 1

Quæ glorioſa apud illos & momentoſa divinorum nominum conſociatio explicata nuper in Ænigmatibus.

Similis cura, ex ſententia doctiorum, *eligendi, juxta primam & ultimam nominis ſui proprii literam, dictum ſcripturæ*, quod incipiat à litera prima nominis proprii, & finiat in litera ejusdem nominis ultima. Idque ex tribus Scripturæ voluminibus, Moſe, Prophetis & Hagiographis. Ut tergemina dicta, *nominis proprii* velut *ſymbola* propria, ſemper in vita ſint in ore, quæ &, ubi aſperiora ſint fata, ſtatim pro ſolatio incidant. Et hæc dulcis *antelucana recordatio*, *nominis proprii* repetita *commemoratio*.

Quamprimum porro pedem quis *è lecto* protulerit, ex conſilio veterum *prima eſt meditatio de fatis & honeſtæ ſequentis per diem vitæ ambitu*. Multos ſiquidem vitæ arbitros ac teſtes à Deo eſſe conſtitutos *meminiſſe quisq; debet*, qui hominum inſpiciant inſtituta ac mores: Qui *perpetui comites*, obſervent & ſtylo notent quæcunque gerantur.

rantur. Summo quidem mane, dum *pedes è lecto* proferantur, ad incedendum, teſtes illos individuos ita exclamare, ex 1. Sam. 2, 9. *Pedes piorum cuſtodit Deus, impiorum in tenebris corruent: Nec enim viribus ſuis confidat quisquam.* Et ex Eccleſ. 4, 17. *Obſerva greſſus tuos, quando Dei domum ingredieris, & lubenter obedire longe eſſe præſtantius ſcito, quam omnia ab improbis oblata ſacrificia.* Ut & ex Prov. 4, 26. *Expende curate greſſus pedum tuorum, ut omnes tuæ viæ ſint rectæ.* Si dehinc *oculos* quis circumferat, ad circumſpiciendum, teſtes iſtos ita pronunciare, ex Prov. 4, 15. *Oculi recta ante te colliment.* Si quid *dicturus* ſit, teſtes ita eum affari, ex Pſ. 34, 14. *obſerva linguam tuam ne peccet.* Si *manus*, pro re quadam capeſſenda, extendat, teſtes monere ex Pſ. 34, 15. *Fuge mala & exerce bona.* Quod ſi hortantes audiat, fortunata fore omnia. Sin minus, omnia imminere damna & pericula, omneque illos vitæ arbitros contra ipſum teſtari coram Deo. Si pro obſervantia erga Deum præſtanda ſit ſollicitus, omnes illos intercedere pro illo ac optimum de eo ferre teſtimonium apud Deum, ut impe-

tret, quocunque & quandocunque habeat opus. *Primâ* hanc *a lecto meditationem* commendant, *ad virtutem, ad honestatem calcar.*

Peritiores ac eruditiores, observatis *à lecto* superioribus *regulis*, *vigilantiæ*, ut media nocte surrexerint, *honestatis* & *verecundiæ*, corpore bene vestito, *sanitatis*, corpore evacuato, *munditiæ*, eodem loto; *ad meditationes* cum *ordinarias* tum *novas* se absque mora componunt. Habet autem hoc *eruditorum officium meditandi & studendi antelucanum* geminas & distinctas partes seu periodos: Una est *historica*, ordinaria & quotidiana commemoratio ac querula *repetitio fatorum Judaicorum*, templi quondam exusti, urbis destructæ, gentis dissipatæ, studii aviti in exilio neglecti, verbo, publicæ suæ nunc miseriæ: Altera est *artis*, ut *studia sua*, aliàs cœpta, *continuent*, ac discendo porro pergant, legendo ante ortam lucem, ruminando, ponderando, examinando, memoriæ mandando, atque ita proficiendo.

Quod ad *primam* attinet *meditationem antelucanam*, *intempestæ noctis*, obiter supra p. 49. denotatam, quæ *mediæ noctis initium*

initium sibi ordinarie vindicet, distincte meretur observari. Vocatur hieroglyphice *Planctus Rachelis*, *Lacrymæ Rachelis*, ex Jer. 31, 15. *Rachelis* effigie pingunt sibiq; in memoriam revocant, dilectissimæ quondam Deo, nunc omni serena pristina fortunâ exutæ *reipublicæ Judaicæ statum flebilem & calamitosum. Exulantis*, inquam, & patriæ usu & fructu destituti, palabundi *populi miseriam*, hac *Rachelis sterilis & querulæ* idea recolunt. Sic *prima* omnium, postquam se amiciverunt, matutina & *nocturna consideratio*, est *exilii præsentis deploratio*, quæ omnibus diebus non festivis, excepto adeo sabbato, festis, noviluniisque, ante lucem, media semper nocte renovanda. Quondam, à primo quidem exilii exordio, hic *mos* inoluerat, *intempesta quidem nocte misere sua fata deplorandi*, verum quisque pro suo ingenio, pro suo judicio, pro sui affectus teneritudine *nocturna hæc* faciebat sacra. Hic his, alius aliis moribus, atque ingemiscendi, conquerendique modis. Nuper demum à R. Jizchak Lurja, R. Chajim, horumque auditoribus, certa mensura ac meta nocturnarum harundem querularum deter-

terminata, in gratiam imperitorum, ut & eruditi ex regula rectius triſte hoc officium peragere aſſueſcant. *Noctis* igitur *meditullium*, ſive hyeme, ſive æſtate, his lacrymis ex veterum conſuetudine ſacratum, ſcil. à ſexta hora noctis, pro ſupputatione Judæorum: Qui noctem ipſa caliginoſa hyeme duodecim horis nec ultra metiuntur, reliquum tenebrarum ambitum, diei, vel præcedenti vel ſequenti mancipant. Corpore bene, ut ſupra dictum, compoſito, rebusque ut decet inſtructis, *ad fores properandum*, ibique *in limine* ad Meſuſam *procidendum*, pro ſymbolo, *florem ſuæ reipublicæ, legisve gloriam, foras exiviſſe, emigraſſe*, domo abiiſſe, in exilio nunc hærere, Eſ. 3, 16.

Calcei mox exuendi, pro libertatis exutæ indicio, paupertatisque & captivitatis teſſera: *Caput obnubendum*, lugentium more, *inter lacrymas* & ſingultus continuos: *Cinere frons adſpergenda*, eo maxime in loco, ubi capitis thpillin, legis ſymbola, hærere ſolent, cum voto benigni oraculi Eſaiani, c. 61, 3. *Detur ploranti Zioni decus pro cinere.* Scil. *pro memoria voluminum ſacrorum*, cum templo *in cineres* reda-

redactorum, à quo tempore Judæi legis peritiâ & ſtudio privati, gentes autem exteræ, lege beatæ, ad profundam ejus cognitionem penetrarint. Quod *legis* appellant *exilium*. מיום שנחרב חבית ונשרפה התורהנמסרו סודותיה ורזיה לחיצונים וזה נקרא גלות התורה:

Poſt *caput in ſolum inclinandum*, flendumque amare, ob panoletriam, qui propter peccata patriâ pulſi, gentibus mixti, quibus lex in uſum ceſſerit. Qui vehemens hodie eſt dolor, Europæos, ipſosque nunc chriſtianos, non ſolum ſacra ſua avita volumina tenere, ruminare, ſed & profundius inſpicere ac ſcopum rectius penetrare. *Dicendumque* ex eo, humi adhuc decumbendo: *In unius Dei gloriam ordiar profundæ noctis ſacra; pro lacrymis amaris, quas ubertim affundam deſtructo templo, Iſraëlis carceri, legis exilio, arcanorumque ejus inter gentes factæ proditioni.* שנמסרו רזיה לחיצונים

Superiores & continuatæ lacrymæ augendæ, ante omnia, humi, *ſtebilibus pœnitentiæ formulis*, pluſculis, ægerrimis, *ingeminatis*, quibus Deum juſtum, vindicemque ſcelerum, pronunciant, omnium

omnium reconditiſſimorum facinorum & pectoris arcanorum conſcium, ſe ipſos vero perditiſſimos ingenue profitentur, remiſſionemque anxie implorant.

Quibus confectis, humi porro *Pſalmus integer 136.* pro exemplo exilii Europæi recitandus, Babylonica captivitate cum præſenti collata. Subjungendus *Pſalmus 79. integer*, in cædem Judæorum per omnes ætates. Ulterius *flebiles Jeremiæ threni, capite quinto,* ad finem usque, cum gemitu fundendi. Inſimul, in principio obvia verba יהוה מה היה לנו *Domine, quam malè agitur nobiſcum!* mente profundius ipſis volvenda, quippe quæ literis initialibus ſubindicare vocem מילה *circumciſionis*, obſervatæ: Pro circumciſo, ſacrato populo, patriâ pulſo, bonis exuto, gentes incircumciſas, propudioſas, eminere, excellere, dominium in illos tenere, facie rerum prorſus immutatâ! Incircumciſos Deo acceptiores videri, quam Judæos. Hoc ſtupent, meditabundi, inverſumque à Deo omnem illum priſtinum ordinem, Judæorumque & gentium vetus diſcrimen commutatum dolent. Iræ divinæ rigorem agnoſcunt.

Cujus

Cujus *ſymbola* devotiores in vocibus iisdem מה & לנו triſtes obſervant, qui ſymbolis ex veteri conſuetudine aſſueti. Siquidem מה ſymbolice idem ipſis ac יהוה, quo de in Ænigmatibus, p. 158. & לנו numero idem ac אלהים. Miſere igitur conqueruntur, pro מה ſubſtitutum jam eſſe לנו, ſive pro יהוה valere nunc אלהים: Pro *gratia* divina, qua quondam potiti Judæi, vigere unice *juſtitiam* & *vindictam*. Verbo: *Nullum* nunc in diuturno hoc exilio ſupereſſe *ſenſum divinæ gratiæ & miſericordiæ*, cujus teſſera habita יהוה, qui ſuâ gratia & beneficentia præſentiſſimum ſe oſtendere ſit ſolitus, ſed *irâ divinâ* premi, inter gentes uri, exedi Judæos: Contra quos unice *vindicē & Judicē* ſe comonſtret Deus, cujus ſeveritatis indicium habent אלהים. Dei affectum erga Judæos prorſus eſſe immutatum, ingemiſcunt & deplorant, threnis iſtis Jeremiæ præſenti ſuæ calamitati affuſis, pari *vindictæ divinæ ſenſu convicti*.

Excipit hos pectoris fluctus ſimilis tempeſtas, longo novo querulæ orationis motu, verbis Eſaiæ, cap. 63, 15. ad finem & cap. 64, 1. ad finem, Jerem. 14, 19. 20. 21. & cap. 31, 41. c. 25, 30. Eſ. 22, 12. Thr. 1, 16.

Es. 33, 7. Vir sit, profecto, cujus oculi his lectis non madeant aut exundent, præ commiseratione. Succedunt denique longa serie *quinque* recentiorum temporum *carmina lugubria*, flebili & lacrimoso sono, ab ipsis in pulvere adhuc sedentibus decantanda. Primi autor *R. Moses Alschech*, secundi R. Chajim Cohen ex Aram Zoba, tertium Hierosolymis advectum, quartum & quintum aliunde. Alios lamentabiles quiritatus jungere cujusvis dolori integrum. Quibus querimoniis completis, & lacrymis pene arescentibus, *animus ad surgendum sumendus, pro omine, gentis* aliquando è pulvere resurrecturæ & *ab exilio revocandæ*: Recitato augurio, ex Es. 52, 2. *Surge è pulvere, surge capta Hierosolyma: Solve vincula colli tui, captiva filia Zion.* Lætiora abhinc *spei argumenta* commemoranda, Esa. 62, 6. 7. 8. 9. Dan. 9, 18. 19. Ps. 202, 14. 15. Ps. 147, 2.

Sic tandem *ex humo surgendum, pro certa futuræ desideratæ libertatis spe.* Quo facto, *sereniora auguria* redituræ fortunæ, patriæque recuperandæ & urbis resuscitandæ, capienda ac *pronuncianda*: *Psalmus 24, integer* decantandus, vel, ad mini-

minimum, ultimi versus, pro lætis auspiciis: *Assurgite, portæ Hierosolymæ, ut rex gloriæ ingrediatur, Deus glorioſissimus.* Jungendus, pro augenda desiderii & spei dulcedine, & melioris fortunæ serenitate, *Psalmus 42. totus*, ut & *Psalmus 43. à capite ad calcem*: Nec non *Psalmus 20. plenus*: & *Psalmus 67.* & *Psalmus CXI.*

Posthæc non parcendum diris, quibus devoveantur hostes, à quibus subjugati, Romanos puta: Es. 24, 20. 21. *Nutent instar ebrii, cadant, nec resurgant.* Deinceps, superior pœnitentiæ ac *confessionis formula*, in lugubris scenæ principio recitata, & ex recentiorum sententia *repetenda*: Inter novas lacrymas additis Psalmis 51. & 126. Similiter ingeminandum: *Quamdiu tandem durabunt lacrymæ in Zion & suspiria in Jerusalem! Surge ô Deus, animum redde Zioni, & muri Hierosolymæ resurgunto! Age, caput erige Zionis*, Ps. 102, 14. *Tempus enim est ejus miserendi: Tempus instat definitum: Quo servi tui læti versent lapides, & cæmentum pro illa resuscitanda. Resurgere jubeat Deus Hierosolymam, & palantes Israëlitas congreget!* Daniel. 9, 18. 19. *Audi nos Domine, remitte, miserere.* Et

Rachelis poſtremo iterum audiantur ſingultus, cum ſolatio, ore Jeremiæ 31, 14. 15. 16. *Sic ait Dominus : Vox auditur in Rama, lamenta & gemitus, multi, & amari Rachel deflet filios ſuos, & renuit conſolationem admittere de filiis ſuis, quia nullus horum ſupereſt. Sed & ita ait Dominus : cohibe vocem tuam à fletu, & oculos à lacrymis. Quia nunc rependetur tibi pro tua miſeria, dicit Dominus, & revertentur filii ex terra hoſtium. Nunc ſpes eſt poſterorum tuorum, ex Dei ſententia, ut redeant filii ad patriam ſuam !*

Tanta, tam flebilis, tam lugubris, tam querula & udoſa, tam longa *ſcena Rachelis antelucana* ! Tantæ lacrymarum undæ, tot querelarum agmina, tot votorum montes, tot animo ſubjecta nutanti ſpei fulcra, quibus feſſa & fracta in hoc exilio ſubnitatur. Hæc *prima nocturna eruditorum tragœdia.* Quam quidem agi & à plebe optant, ſi capiant.

Lacrumoſo iſto actu finito, & *Rachele* tantisper miſſa, ad *Leam* tranſitur, nocte adhuc profundâ, quàcum *Jacob* confabuletur familiarius. Excipit namque ſuperiorem triſtem faciem altera, intem-

tempeſta quoque nocte à doctis inſtituenda, *ſerenior* & *benignior comœdia*, quæ *Jacobi & Leæ* audit *commercium*. Id quod *Studiorum* eſt *Theatrum*. A præviis ſiquidem iſtis querimoniis, in noctis umbra *ad ſtudia* progrediendum. *Studiorum* vero *effigiem* tam dulcem tam delicatam haud obſcure intelligent, qui ſtudiorum indolem norunt. Illi per *Jacobum* effigiant *viros doctrinæ cupidos*, cœtum Iſraëliticum ſciendi avidum, & in ipſo exilio carceribusque literis deditum. *Lea* vero ipſorum eſt *Schechina*, *Dei gratia*, *legis divinæ* ſcientia, *fidei & virtutis habitus*, *doctrinæ & eruditionis apparatus*. Sic Jacobum inter & Leam, virum ſolertem & doctrinæ cupidinem, amor & vinculum à Judæis blando indicatur emblemate. Caſtiſſima hæc voluptas, & familiariſſimum hoc *blandiſſimæ doctrinæ cum viro cordato commercium*, eò à Judæis commendatur ſollicitius, quanto experientia edocti intelligunt rectius, ſine literis hominem non bruto ſimilem ſed deteriorem evadere, ſine literis nec gentem, nec rempublicam ſartam tectam ſervari, ſine literis peſſum ire incolumitatem communem

virtutem & vitæ integritatem: Sine legibus, legumque cuſtodia, actum eſſe cum ſalute publica. Suæ proinde gentis, in exilio licet errantis, viam quam ineant, certam, in carceris caligine lucem, cujus uſu ſibi caveant, ſeque ab interitu ſervent, literis debent. Populi, captivitatis diuturnioris violentia marceſcentis, florem, literis acceptum ferunt. Suádent ergo, tradunt, admittunt, arripiunt, colunt, excolunt, perficiunt. Quapropter aptiſſimum auroræ, Muſisque gratiſſimum tempus, aucupantur, commendant, imperant. Poſtquam igitur, pro præſentis exilii calamitate, *intempeſta nocte* ploratum ſatis, *ad ſtudia* digrediendum, negotium ſerenius & tranquillius.

Quod ſi forte non edormitum aliquando ante mediam noctem, ut ſomnus poſt lacrymarum imbres videatur ſibi aliquod adhuc vindicare jus, non negatum à ſapientibus. Indultum igitur, iſto caſu, finito Rachelis officio, hyeme præſertim, quando noctes longiores, lectum iterum aliquantisper petere. Veruntamen & hac lege indulgentia limitata, ut *ante ſolis ortum plumæ iterum relinquantur*,

&

& *ſtudia mature ante lucem inchoentur, eaque ad ortum usque continuentur.* Et plebeji, literarum expertes, Pſalmis & omnigenis precibus pro literis illud ad lucem tempus dare quidem juſſi, & perſuaſi, verum, ad Synagogam potius publicam ſacra omnia ſervare ſueti. Doctis verò illud relictum *antelucanum ſtudendi officium.*

Quando ergo mature, ante ſolis ortum, ſe jam proripuit vir eruditus, *ſtudiis literisque ſacris operam nocte daturus*, obſervatis prius ſuperioribus regulis de veſtiendo corpore, ventre exonerando, manibus lavandis, & conſecrationum duarum formulis recenſitis, addere primum tenetur & hanc ברכת התורה *ſtudiorum conſecrationem* ac velut *inaugurationem*: ברוך אתה ה׳ אלהינו מלך העולם אשר קדשנו במצותיו וצונו לעסוק בדברי תורה׃

Gloria ſit ſummo Deo, qui nos à reliquis gentibus ſegregavit regulis ſuis, nobisque injunxit ſtudium Scripturæ ſacræ. Dei beneficium eſſe *literas*, ut agnoſcunt ita & profitentur ante, quàm ſe ad illas tractandas conferant, ut tanto major ex literis voluptas oriatur, quanto agnoſcuntur eſſe nobiliores ac præſtantiores. Non negant

dem, quam ſenſibus percipiunt, in aliis populis doctrinam & eruditionem. Verum omnem tamen gentiũ quarumcunq; ſcientiam ſuæ poſtponunt, ac ſe ſua doctrina ab omnibus aliis populis diſtingui gaudent & gloriantur. Eamque ſuam eximiam præ ceteris dignitatem & ſtudiorum prærogativam diſerta formula deſignant. Cujus gloriolæ fundamentum eſt, quod Dei cognitionem ejusque cultum in fronte ſtudiorum ponant, eam verò partem ſtudiorum ſibi ſoli ex Scripturæ oraculis vindicent. Deinde quod virtutem metam ſtudiorum collocent, eam verò optime à Deo ipſo definitam ajant. Sibi igitur, ex ſacrarum literarum uſu & prærogativa, palmam in literis tribuunt, qui nec exteras ſcientias abjiciant, ſed æque ſolerter excolant. Verbo: Veteres, doctrina & eruditione bonisve literis viros à vulgo diſtingui ſubindicavere: Cum Judæi gentiles haberent pro genere brutis ſimili, ſe ex virtute hominibus pares. Scopum itaque veterum, *Virtute diſtingui eruditos à plebe*, divina quidem gratia, in memoriam ſibi revocant, ſuperiori ſtudiorum conſecratorum teſſera. His porro

jun-

jungendum *votum*. Addat ergo: *Faxis Domine Deus noſter, noſtro & noſtrorum ori dulce evadat verbum tuum, ut nos, noſtrique & ſeri noſtri nepotes, omnes nos, nomen tuum agnoſcamus, & verbum tuum diſcamus. Benedictus es Domine, qui doces legem Iſraelitas. Benedictus es Deus, qui elegiſti nos, præ omnibus gentibus, nobisque dediſti verbum tuum. Benedictus es ô Deus, Verbi divini origo.* Pergat, ſibique benedicat, pro ſtudiorum ſucceſſu, benedictione ſacerdotali: *Benedicat tibi Deus & te cuſtodiat: Alluceat Deus facie ſua tibi, & gratiam conferat tibi: Annuat Deus facie ſua tibi, teque beet pace, omnigenaque ſalute.* Subjungat effata majorum, quæ ſuetum *negligentiæ prætextum* removeant, quaſi literis nimia detur opera: Nimium ſtudere, eſſe inſanire: Parcendum diligentiæ: Et in ſtudiis maxime habere locum, Ne quid nimis. Quaſi eruditorum damna, caſus, morbi, literis ſint tribuenda nec alteri potius literatorum intemperantiæ aut imprudentiæ: Qui literis uti neſciant; Quod vera ſit eruditio, virtus, cui nimium non litatur: Nec enim opinionum cumulos, nec contentio-

num ferras, eruditionem conficere, sed virtutis peritiam & usum. Hoc igitur *studiorum terriculamentum*: Nimium disci, nimium studiis invigilari, abstinendum, somno litandum, stertendum, genio indulpendum, Judæi mane ante lucem, ante quam ad studia se componant, ipsi averruncare docti, recitatis veterum oraculis; Esse aliqua, in quibus non peccetur facile excessu; *Nimium* non metuendũ, nec prætexendum. Et in his quoque *studia* esse. *Non nimium*, canat, *fit in his*: *Angello agri consito pauperibus relinquendo*: *Primitiis elargiendis*, *prudentiâ*, *beneficentia*, & *studiis*. *Hæc*, pergat, *sunt, quæ in & altera vita prosunt*: *Honos erga parentes*, *benignitas*, *tempestiva, mane & vesperi, collegiorum frequentatio, hospitalitas*, *ægrorum visitatio*, *nuptiarum promotio, funerum deductio, in precibus attentio, dissidentium conciliatio*: *Quibus omnibus par*, exclamet, *palmamque præfert, Scripturæ studium*

His studii elogiis & calcaribus attexat & *summam omnium studiorum*: Fata meliora, quin *ultimam mortis lineam*: Testimonium spei de futura post hanc vitam resurrectione, ut *mortis imminentis*, vitæq; beatioris, sit *memor*. *O Domine, pura est,*

ra est, inquiat, *quam dedisti mihi anima: Tu illā mihi commisisti, ac inspirasti: Serva illam mihi. Tu illam auferre, sed & deinde in altera vita reddere potis es. Quamdiu hunc spiritum duxero, te celebrabo, meum avorumque meorum dominum, universi creatorem, omnium animarum gubernatorem. Benedictus tu Dominus Deus, qui animas restituis cadaveribus defunctorum.*

Prudentum esse volunt & eruditorum, non magis *vitæ* suæ meminisse, quàm instantis & ex improviso etiam ingruentis *abitus*. Veram eruditionem esse, *meditari mortem*; Aut, ut veteres dixere, *Totam philosophiam nil esse nisi mortis meditationem.* Id demum sapere, meminisse semper, *finem* omnium fatorum factorumque *imminere.* Totus itaque *vitæ ambitus* mane ante studia ob oculos ponendus, vitæ præsentis, mortis instantis, & alterius vitæ serenioris.

Solertiores & *symbolis* hic delectantur ante studia, quibus se animamque Deo dedant, literis invigilaturi. Dei nempe *gratiæ & potentiæ* vinculum parant, combinantes Dei insignia, יהוה & ארני, hoc modo יאהדונהי, ut & יהוה & אהיה h. m. יאהה ויהה. De quibus in Amuletis p. 77. seqq. Ulterius, *sui cum Deo unionis* figuras

guras ac *ideas in fronte* varias quas *in ſtudiorum exordio* formant, ut nos *cruce*, ita illi voce תורה, oculis, naſo, ori admota, videſis in *Ænigmatum* ſimulacris, p. 85.

Quibus omnibus ordine & devote penſatis, Judæo fas, ad *ſtudia* ſe componere *antelucana*. Illa præexercitamenta, illa animi ad ſtudium compoſitio! ut tanto alacrius illa inſtituantur ac pertexantur, quanto animus ſerenior, attentior, excitatior, & ad metam attingendam alacrior, ac cupidior. Quippe quod illud efficiatur feliciter, quod cum animi fit tranquillitate, fronte exporrectâ, lubenter, cupide & conſtanter.

Ubi igitur Judæi ſtudia nunc ſua inchoant antelucana, nos metam hac vice noſtris imponemus: Quid ſuccedente ac integro agant die, aliàs contemplaturi. Ne verò noſtris otium videatur datum, ubi Judæorum incipit ardor, habebunt, quod in ſuperioribus Judæorum antelucanis officiis contemplentur, inque ſuum aliqua convertant uſum. Quin imo cum ſint illorum pluſcula, quæ honeſtatem non magis ac *ſanitatem ſtudioſorum* concernant, quæ tenuius attigiſſe nobis ſufficerunt, commodis literatorum conſulturi *ele-*

gan-

gantem in res plerasque ſuggeremus inclyti *Scharandæi*, ex ceteris hac de re auctoribus, *Commentariolum*, quem merito ſtudioſorũ quisq; manu menteq; diligenter verſet.

Non quidem opuſculum hoc *ex foro* noſtro *philologico* natum, ſed *ex* præclaro *rerum naturalium theatro*: Nihilo tamen minus *Philologiæ* æque ac quarumcunq; artium *cultori ſolerti* utile planeque *neceſſarium*. Taceo, peritum philologum non eſſe, ſine ſedulo rerum naturalium ſtudio. Taceo, bonum Philologum falli & fallere, niſi & phyſicorum audiat effata, qui rerum extra hominem, in homine, ambitum, motum, effectus, fata, rationes, demonſtrent, & exponant. Quam optandum, philologos interpretes in doctorum phyſicorum & medicorum ſcholis aſſidere frequenter, ut in quorumcunque autorum enarratione, quæ intelligunt rectius, exponant integrius, uberius ac plenius! Nec enim prænobiles iſtæ ſcientiæ à Philologia alienæ, quam clariſſimi Medici & Phyſici jam pridem deamant, ut dubium ſit, illuſtriores illi Medici an Philologi audiant. Et illi illuſtres veteres interpretantur autores, non Latinos ſolùm, ſed & Græcos, ſed & Arabes, ſed & Hebræ-

bræos; Ut, unde orta Medicina, rerumque naturalium ſcientia, inde, ex oriente, lucem repetant clariſſimam. Dabunt igitur hoc Philoſophi & Medici Philologis, ut ipſos conſulant, audiant, venerentur, non ſolùm quando ægritudo compellit, verum etiam quando rerum ſui fori dignitas in eorum amorem hos rapit, æque ac quando retinendæ bonæ valetudinis cupido invitat. Et philologi, fateor, non minus ac alii eruditi viri, peccant, qui nimium ſedendo ſedulitate impingunt, vitiumque contrahant. Et hi ergo, ne ſub gravi levioris alioquin philologiæ onere occumbant, vegeti adhuc & firmi lubentius audiant valetudinis arbitros, quàm feſſi & fracti. Servari malint, quàm reſtitui, perdurare, quam redintegrari. Indulgebunt igitur Philoſophi ac Medici Philologiæ cultoribus, pro horum in illos amore, *Scharandæum, qui* & tenues *Judæorum pro ſanitate ante lucem conſervanda regulas illuſtret*, & philologos æque ac ceteros optimarum literarum ſtudioſos ſanitatis prodigos eſſe vetet, quin ſuæ doctrinæ & conſiliorum dulcedine ad ſolicitius valetudinis ſuæ ſtudium benigne invitet.

IOAN.

IOAN. IACOBI SCHARANDÆI,
SOLODORENSIS,
Philosophi & Medici,

DE RATIONE CONSERVANDÆ SANITATIS

LIBER,
Ad amplissimum
SENATVM SOLODORENSEM.

Ad exemplar
AMSTELODAMENSE
M DC IL.

Prudentissimis consultissimisque

CONSVLIBVS,

Totique celeberrimo

SENATORIO ORDINI REIP. SOLODORENSIS

IOANNES IACOBVS SCHARANDÆVS

F. P.

CVm cæteris in venerationem Vestri pateant omnia, ampliſſimi PATRES, mihi ad colendum Vos familiarius audacia ſola ſupereſt: Ut Vobis nugas meas licentiori epiſtola narrarem: ſimul ut hac mea petulantia fiat, ut ſciant omnes, nihil quicquam in Vobis fortunæ amplitudinem mutaviſſe, niſi ut prodeſſe tantundem accedentibus poſſitis, quam velitis. Perfricui faciem ob levitatem operis, nec tamen profeci. Vos quidem

quidem in excelſo humani generis faſtigio poſitos, ſumma eloquentia, ſumma eruditione præditos, religioſe etiam adiri à ſalutantibus ſcio: eſt præterea quædam publica eruditorum rejectio, & ideo ſummopere curandum, ut quæ Vobis dicantur condigna ſint. Verum & diis lacte ruſtici multæque gentes ſupplicant, & mola tantum ſalſa litant qui non habent thura, nec ulli vitio fuit deos colere quoquo modo poſſet. Suſcipite igitur, maximi Reip. RECTORES, opellam hanc meam rudem, æquo benignoque animo: ego vero, quum rebus feſſis ſubvenitis, viam Vobis ad æternam gloriam cœleſti paſſu auguror.

IOAN.

IOAN. IACOBI SCHARANDÆI,

Solodorensis,

Philosophi & Medici,

In Librum de Ratione conservandæ sanitatis

PROOEMIVM.

MVndum, & in eo cuncta, hominis gratia genuisse natura videtur, magna tamen & sæva mercede contra tanta sua munera. Ut non sit satis æstimare, parens melior homini, an tristior noverca fuerit. Nascitur enim, mox periturus, tot periculis, tot morbis obnoxius, tot mortibus, nunquam vitæ; & a suppliciis vitam auspicatur, unam tantum ob culpam, quia natus est. Sentiunt cætera animantia naturam suam, alia pernicitatem usurpant, alia vires; Hominis prima scientia, sibi mortem, quasi non satis ocya esset, diris modis accelerare. Itaque feliciter natus jacet manibus pedibusque devinctis, si nunquam solvendus: adeo vita nihil est brevius, nihil fragilius: Homo vitæ nunquam certus, anxius semper mortis formidine. Tam multiplex enim est, ut

etiam, dum vitales inſpirat auras, mortifer & peſtilens halitus, animæ occludat meatus. In alimentis ipſis latet exitium; mica, vel quod minus eſt, guttula liquoris, quia paululum viæ difficultate arctatur, vitæ claudit ſpiracula. Tot quidem cladibus natura mortales afflixit, tot ærumnis vitam ſubjecit; Docuit tamen his mederi, præcipue iis à nobis ipſis prodeuntibus, ut remedia morbis quibusque homines aptarent, monſtrante ea ſacra illa parente. Adeo ut neque ſylvæ, neque horridior orbis facies medicamentis careant. Imo etiam ſolitudo ſit homini medicina. Non tamen ad negotiandum (ut ſit hoc ſeculo) animas noſtras, aut ad capturas medicorum, aut ad fraudes officinarum, in quibus ſua cuique homini venalis promittitur vita, verum ad vitæ auxilia, ad ſanitatem ſervandam, ſine qua vix vivimus. Quippe Non eſt vivere, ſed valere, vita. *Non ad centum vel plures annos vitam prorogandam, ſed ad curriculum, quantulumcunque ſit, optima valetudine peragendum. Neque enim*

Euboicæ tranſcendere Virginis annos
Quærimus. Ætherea ſani ſi veſcimur aura,

Hoc

Hoc longum vixiſſe reor.

Tempus breve, quod eſt ſanum, longiſſimum contingit, ſi recte conſideremus. Quid enim juvat vivere 50. aut 60. 90. aut 100. annos, ſi vita morti ſimilis exigitur? Malignum nimirum eſt hoc vitæ munus, quod tot morbis, tot periculis perficitur. Sedulo curandum igitur, quomodo ſani vivamus. Multi viri docti egregia & utilia præcepta tulere de incolumitate ſervanda: Quæ abunde ſufficerent, niſi me quoque ad ſcribendum impuliſſet, non quidem ingenii acrimonia, vel acre judicium, ſed potius audacia: quæ condonanda eſt ſecundum illud ſatyrici:

Tenet inſanabile multos
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde ſeneſcit.

Hanc vero materiam de ratione conſervandæ ſanitatis mihi tractandam propoſui, quia vulgo maxime expetitur, cui iſta ſcribuntur. Nihil enim aliud deſideratur quam norma quædam vivendi, ut vitentur tot morborum pericula, quibus quotidie angimur. Verſabimus itaque circa præcepta communiſſima, & circa res ſine quibus vivere non poſſumus, quales ſunt aër, cibus & potus, & cæ-

teræ non naturales. Monſtrabimus erro-res qui committuntur in victus ratione, in eligendis cibis, &c. Tandem nihil omitte-mus quod ad perfectam ſanitatem conſer-vandam conferre poſſit. Tu vero, jocun-de Lector, ſi quæ invenias quæ minus ſto-macho tuo apta ſint, ignoſce & corrige, & ſi nihil omnino valeam, fac tineas paſcam blattaſque, & fac, ut me coci redimant.

Vale.

Qui

Quid ſit, & in quo conſiſtat ſanitas.

CAPVT I.

TRactaturi *de ſanitate* ordimur à definitione ipſius, tum ut ordinem quendam ſequamur, ut fecere Ariſtoteles, Galenus, & plerique; tum ut ſciamus quid ſit illud, de quo locuturi ſumus. Verum non illam exactam definitionem, quam requirunt Philoſophi, & rigor ſcholæ, tradimus, contenti ſolum ſanitatem aliquo modo deſcribere. Epicurei finem bonorum in voluptate ponentes, arbitrantur à diis immortalibus nobis ſanitatem in præmium impertitam, quæ ſit voluptatum conſervatrix. Unde nonnulli dixere *ſanitatem eſſe vitæ felicitatem*, beatitudinemque eam, qua dii immortales homines beent. Plato item *valetudinem corporis bonum præcipuum* eſſe affirmat. Quæ ſane ut egregie, ita & veriſſime

riſſime ſunt dicta, cum carenti ſanitate nihil poſſit contingere miſerius nihil moleſtius. Sed medicorum etiam quæramus definitiones. Galenus vult ſanitatem eſſe potentiam agendi, & naturalem compoſitionem ad agendum. Sic enim 2. de ingenio, cap. 5. ait: *Sed nos videmus homines ſe ſanos eſſe dicentes, dum actio eorum ab omnibus membris ſine impedimento fit, neque ullam de medicis habent neceſſitatem.* Et 1. morbi, cap. 1. *Dico ergo, quod unusquisque dicit ſe ſanum eſſe, dum ſolitas præter ullum impedimentum faciat operationes.* Avicennas 1. can. fen 1. doctr. 1. cap. 1. ſic ſanitatem definit: *Sanitas eſt habitus, vel diſpoſitio, ex qua omnes operationes ſubjecti ipſius ſanæ proveniunt.* Item 1. can. fen 2. doctr. 1. cap 2. *Sanitas eſt diſpoſitio, per quam corpus hominis in ſui complexione & compoſitione tale exiſtit, ut ex eo operationes ejus omnes proveniant incolumes.* Item: *Eſt diſpoſitio, per quam immediate perficiuntur operationes viventis* Averrhoes 2. coll. cap. 1. dicit, ſanitatem eſſe *diſpoſitionem bonam in membro, cum qua ipſum operatur operationem, quam habet agere per ſui naturam, & patitur paſſionem, quam habet pati.*

Hæc

Hæc tamen definitio videtur potius partis uniuscujusque corporis non autem totius: ſed quia, ut partes ſe habent, ita & totum, recte deſcriptio hæc *de ſanitate totius corporis* explicari poteſt. Alii dicunt, ſanitatem eſſe corporis temperationem, quum ea congruunt inter ſe, è quibus conſtamus. Alii: *conſtitutionem rectam corporis naturalis, in ordine ad operationes exercendas, actu, vel potentia.* Atque hæ definitiones, quamvis terminis diſcrepent, idem tamen explicant, ſecundum uniuscujusque dicendi modum. In eo ſcilicet conveniunt omnes, quod *ſanitas* ſit *potentia exercendi operationes naturales.* His alteram ego definitionem ſubjungo, non eruditiorem, aut clariorem, ſed nec abſurdam, aut ceteris contrariam. Neque enim tam *acri percuſſit thyrſo laudis ſpes magna meum cor*, ut melius à me medicinæ principia explicari exiſtimem, & apolactizando viris eruditiſſimis adverſari velim. Illud ſolum mihi concedi expecto, quod omnibus & concedi laudabile, & ultro offerri æquum eſt; ſanitatem nimirum meo etiam dicendi modo definire. Eſt autem definitio: *Sanitas eſt aptitudo caloris*

loris naturalis, perpetuo resistendi causis morbificis. Explicatione non indiget, cum & clara, & vulgaris sit. Siquidem apud omnes probatum, atque universa medicorum clamat schola, *virtute caloris naturalis mortales, & cuncta animantia, vigere, operari, & morbis resistere:* Affirmante hoc quoque Galeno, 1. comment. aph. 15. cum dicit, *calore naturali omnia fieri tam in animantibus, quam stirpibus*; Probante etiam id ipsum Avicenna 1. can. fen 2. doctr. 3. cap. 3 de signis complexionum, ubi ait, *calorem innatum* (naturalem vocamus) *esse virtutum omnium instrumentum*: item: *esse illum, qui naturales humores tuetur, ne ei caliditates extraneæ dominentur.* Recte igitur sanitatem definivimus per potentiam, seu *aptitudinem*, cum sanitas non sit actus, seu resistentia ipsa. Non enim dicimus sanitatem resistere morbis, sed quod sanum est, adversari affectibus præternaturalibus, atque operari. Vnde ex his cognoscis *causam vitæ brevioris, longiorisve, & senii*: *defectum* nimirum *caloris*, & ejus *imminutionem, factam à rebus externis*, nobis quidem ad vivendum *necessariis, sed non recte administratis.* Atque in his

in his consistit *ratio conservandæ sanitatis*, *ut ea, quæ calorem illum naturalem fovent, sedulo curemus*, quæ vero *contraria* sunt, *negligamus*: de quibus omnibus dicturi sumus.

De calore naturali, seu calido innato.

CAPVT II.

IN tradendis præceptis *de ratione conservandæ sanitatis*, parum referebat, ejus definitionem omittere, velut superfluam: Quod vulgo scire, quomodo definiatur sanitas, non conferat ad morbos pellendos. Neque enim quis à morbo liberatus fuit, qui definitionem sanitatis pro remedio adhibuit; Sed qui ea omisit, quæ sanitati adversabantur, sanatus fuit. Minus etiam refert, quidquam dicere *de calore naturali*, cum vulgus id capere non possit, aut minus scitu necessarium existimet. Verum, *non omnia quæ traduntur, aut scribuntur, vulgi gratia fiunt*; multa quidem ei, plura vero aliis exarantur. Sic olim triclinia multa quidem paravit amicis Lucullus,

plura vero ſibi, dum Lucullo etiam ſine convivis cænandum eſſet. Rem arduam me ſuſcepiſſe videbor dicturus aliquid *de calore naturali*, quod à viris eruditiſſimis aut non definitum, aut omnino intactum adhuc, & incertum relictum eſt. Contra tamen audentior ibo, non, *bullatis utut mihi nugis Pagina turgeſcat*; ſed utut quæ naturæ beneficio fiunt, comprehendantur, & quæ cœleſti munere ſubſiſtunt, ſuſpiciantur.

Dico igitur 1. *calorem naturalem* (quem *calidum innatum* vocant,) *eſſe elementarem*: Nullo perſuaſus firmo argumento, principium corporis viventis eſſe poſſe alterius naturæ, quam id, cujus eſt principium. 2. *diſtribui per totum corpus*: Contineri quidem hac, aut illa parte parcius, aut abundantius; ſed, totum in aliqua parte præcipua locari, ut ab ea, velut ab œconomo, in alias poſtmodum diſtribuatur, non adeo comprobatum videri. 3. *non totum ſuſcipi in ortu*, ſeu ſemine parentum, quem habiturus unus ſit toto vitæ ſpatio; *ſed augeri, & minui, per anni tempora.*

Primum ſatis probabitur conſideranti, cun-

cuncta *animantia*, imo *quæcunque viventia* (par enim est utrobique ratio) *ex elementis componi*; id est ita inter se misceri atque temperari, ut inde corpora humana generari, stirpes nasci, insecta fieri animadvertamus. Neque dicemus, elementa vi alia quadam cœlesti vel divina compingi atque ferruminari, aut apta ad compositionem reddi, quam ea naturali, quam summus rerum Moderator ab æterno rebus à se creatis concessit. Siquidem quæcunque degunt, naturali virtute degunt, nec cœlesti adminiculo opus habent, velut alterius cujusdam elementi perfectioris, majorisve activitatis (ut ajunt) vi necessario conservata. Hinc velim longe religionis Censores abesse, ne mihi obtrudant hæresis cujusdam, aut impietatis semina; quasi vero negem, totius universi Conditorem atque Conservatorem esse causam primam rerum omnium, quando dico, elementa sua natura agere & pati, absque ulla cælesti aut divina virtute adhibita: Hic solum contendo, Deum quidem tribuisse unicuique rei creatæ propriam quandam naturam, non autem secundo quodam actu juvare aut subvenire

nire, homini v. g. generando, aut equo, vel ſtirpi creſcenti. Quæro præterea ordinem rerum naturalium, non divinarum, cum medici ſit inveſtigare naturas rerum, ſecundum quas in medendo dirigitur. Abſit igitur hinc longius religionis *ſcrupulus*. Sed redeamus ad noſtrum orbem. Quod ſi ergo caduca & corruptibilia ita fiant, nulla profecto neceſſitas erit fingendi neſcio quod elementum novum, quod Fernelio eſt prorſus cœleſte, & divinum, Ariſtoteli vero neque elementum, neque quid cœleſte, ſed ſolum analogum aſtris, vel ſtellis, ut mox in ipſo ejus textu videbimus: Cum *calor elementaris ſatis per ſe ſit idoneus ad omnia generabilia.* Ut videmus in hoc rerum univerſo, quod plane nihil eſt aliud, quam quatuor elementorum inter ſe concinne permixtorum compages, ſeu quoddam compoſitum, cujus cauſa efficiens ſit calor ille igneus, ſeu elementaris; Affirmante ipſo Ariſtotele, ignem, ſeu calorem, eſſe maxime agentem. Cur enim ſolus calor ſit tam debilis, ut ei aliunde adminiculum quæratur? at perinde eſt corpus ſimplex atque cetera tria elementa. Quia, inquis, ex Ariſto-

tele

tele, ignis nullum animal generat; ergo ineptus est & minime proportionatus vitæ animantium, & generationi quæ producendo perficitur. Sed respondeo, Aristotelem loqui de igne nostro materiali, qui ex pabulo constat, non autem de calore, seu igne illo simplici, qui principium vitæ dicitur: hic enim purus est atque sincerus, ut quem quæcunque viventia summopere desiderant, peritura subito, si hoc destituantur. Ille vero materialis non adeo inutilis est generationi, ut affirmat Aristoteles, cum experientia constet, eum suo calore fovere mortales, cum maxime vigent frigora, ne frigore emoriantur. Quid enim aliud præstare dices *foco assidenti*, quam *suppetias calori sibi simili in corpore & membris contento*? Frustra alias contrarium expeteremus, cum jam frigus ad extinctionem viventis sufficeret, si corpora ab igne prodeuntia in corpus nostrum permeabile non penetrarent, ut inde calor intus auctus majori virtute frigori inimico resistere posset. Annon etiam nos mulierculæ quotidiano usu docent, hunc calorem sufficere, dum ova in fornacibus calidis cogunt maturius

rius exire in pullos, docente eas hoc furtum ampliori fœnore? Scimus enim, apud Gallos, apud quos vigent cupediæ, atque apud alios hoc fieri, ut etiam extra tempestatem gulæ ex illecebris nihil desit. Apud Italos, & apud quos est copia bombycum, corpuscula illa, seu punctula, quæ bombycum ova dicuntur, nonne cubiculo tepidiori effecto in vermiculos coguntur, mox in papiliones, parietibus etiam ex his omnino tectis? Quod sane arguit, virtute caloris in cubiculo contenti, non cœlestis cujusdam immissi, sed è prunis & carbonibus, aut aliquo alio combustibili producti, punctula illa bombyces effectos esse, ova pullos erupisse. Ergo frustra, ut diximus, fingitur alius calor cœlestis subsidiarius elementari, cum per se sufficiat, capax cujuscunque actionis naturalis. Unde qui hoc modo philosophantur, melius causas & effectus naturales explicant, quam qui

operum causas nulla ratione videre
Possunt, hæc fieri divino numine rentur.

Verum gravissime instat eruditissimus Fernelius cum Aristotele, quem libro de calore & spiritibus cap. 1. & lib. 2. de abdi-

abditis rerum cauſis cap. 7. citat, & textum illum cap. 3. lib. 2. de gener. anim. explicat. Eſt autem hic textus: *Sed enim omnis animæ ſive virtus ſive potentia, corpus aliud participare videtur: idque magis divinum, quam ea quæ elementa appellantur. Verum prout nobilitate obſcuritateve animæ inter ſe differunt, ita & vis corporis differt. Ineſt enim in ſemine omnium, quod facit ut fœcunda ſint ſemina, videlicet quod calor vocatur: idque non ignis, non talis facultas aliqua eſt, ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur; & natura quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondet elemento ſtellarum.* Munitur profecto arctiſſime Fernelius hoc textu, nec quicquam contra eum, maxime ſi autoritas ſpectetur, afferri poterit. Verum non ſemper ab autoritate argumentamur, ſed quandoque etiam rem ipſam expendimus, utrum ita ſeſe habeat, ut autoritatem apud omnes mereatur. Qui Magiſtrum ſequuntur, & quos *pulpita paſcunt*, nihil in eo diverſum, nihil abſonum reperiunt; ſed omnia apud ipſos dilucida & plana fiunt commentariorum farragine. Ego quidem autoritatem non ſpreverim, poſtquam interroga-

rogabo, quodnam sit illud corpus, quod magis sit divinum quam elementa, & solum analogum elemento stellarum? quod sit spiritus in spumoso corpore & semine contentus, & tamen non sit ignis, aut facultas ex igni prodiens? quod faciat ut fœcunda sint semina, & sit calor? Non video sane quid sit aliud, quam quintum, sextum, aut etiam septimum hujus universi elementum: quia, ex suppositione, non est ex quatuor vulgaribus, quia est magis divinum. Neque erit quintum quia astra, seu stellæ constituunt etiam aliud elementum: cum dicat, hoc corpus (calorem nimirum naturalem) comparari posse cum elemento stellarum. Ergo constituet sextum elementum, omnino diversum à ceteris; cui adjungi potest septimum chimicorum: quid universo potuit contingere melius, quid commodius? Mallem olim querebatur Lucretius ob deficientem indies naturam, dum inquit:

Jamque adeo effœta est ætas, effœtaque tellus;
Vix animalia parva creat:

Non enim tam cito languere potest atque minui, quod tot abundat elementis, sed

con

corporibus ſimplicibus, corruptibilitati & alterationi non ſubjectis. Nunc vero ad textum reſpondeamus. Dico, hoc textu nullo modo probari poſſe, calorem naturalem, ſeu calidum innatum (quod principium vitæ affirmo) eſſe diviniorem & magis cœleſtem, quam ſint elementa, nec ipſi Ariſtoteli comprobatum videri: quod ex ipſo textu oſtendo, ſi liceat eum exponere, nulla habita ratione antecedentium, vel conſequentium, ut faciunt ii, qui textum nude pro ſententia ſua firmanda proponunt. Et ſane mens Ariſtotelis ſola eſt, oſtendere, operationes animæ, ſeu facultates, virtutes, potentias, vel etiam inſtrumentum ejus, eſſe præſtantius quoddam corpus, quam illud, quod ſolum ex compoſitione elementorum fit. Ea enim corpora, quæ ſolum ex elementis coaleſcunt, ut ſunt inanima, tale corpus magis divinum non participant; id eſt, nullos habent ſpiritus, ſeu partes ſubtiliores, quibus anima in viventibus operatur: atque hi ſpiritus, ratione præſtantioris actionis dicuntur reſpondere elemento ſtellarum; id eſt, conditionem nanciſcuntur meliorem minusque compoſitam, quam lapides aut

metalla, quæ elementa ſunt compacta atque commixta. Ineſt vero illud corpus in ſemine omnium, quod facit ut fœcunda ſint ſemina; quia eſt *principium vitæ & operationis cujuscunque.* Atque hoc corpus *calor* appellatur, non tamen eſt ignis, aut facultas ex igni prodiens; ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur: id eſt, illud corpus eſt quidem calor, ſed non talis, ut eſt ignis, nempe elementum mixtum, impurum, aut aliqua facultas ex hoc mixto pullulans; ſed ſimplex, purus, & defœcatus. Atque ita facit, ut fœcunda ſint ſemina, ut corpora augeſcant, & tandem operationes naturales eliciant. Adeo ut videas, Ariſtotelem ne quidem loqui expreſſe de calore naturali, ſed de inſtrumento, vel ſede facultatum animæ. Ergo *recte dicimus, calorem naturalem eſſe elementarem.* Confirmatur; quia ex ipſo Ariſtotele principium compoſiti eſt pars compoſiti; ergo cum compoſitum, homo v.g. aut leo, vel etiam quercus, non ſit quid cœleſte aut divinum, ſed omnino ex univerſi elementis conſtructum, calor naturalis, principium & cauſa ejus, erit etiam elementaris.

Ob-

Objicies cum Fernelio: Sulphur & arrhenicum, quæ calidissima cum sint, & igneo elemento confertissima, ut plerumque nos urant, tamen hoc calore destituta jacent, sicut & inanimorum genus. Insuper animantis cadaver, multo quidem post tempore postquam extinctum est, calorem elementarem conservat, cum tamen ille vitalis jam diu excesserit. Ergo datur alius calor præter elementarem in viventibus, qui sit omnino cœlestis & divinus. Respondeo ad primum: quamvis calor elementaris in omnibus rebus, his quidem uberior, illis vero minor reperiatur, non tamen ideo colligi, omnia pari modo se habere & operari, atque illum eundem calorem, eadem natura aut qualitate præditum habere oportere, quem habent viventia. Sic enim perspicue perspicitur virtus illa infinita sapientissimi rerum Moderatoris, qui voluit, ut ea, quæ ex iisdem constant principiis, dissimilem haberent naturam, tum agendo, tum patiendo peridoneam: atque sic apparet totius universi concinnitas atque pulchritudo, orta ex similium contrarietate. Quare comparatio facta animatorum cum inani-

mis non adeo convenit, cum inanima non opus habeant calore, qui faciat, ut fœcunda sint semina, veluti vita & sensu carentia. Quod si hoc contendas, ut, quæ calore plurimo abundant, sint omnia, & in omni similia, adeo ut ille calor sit idem cum illo calore naturali generabilium; velis sane etiam necesse est, ut calx, sulphur, & arrhenicum, & quæcunque alia exurentia, sint viventia atque generationi apta: quia, inquis, eodem calore elementari, imo pluri sunt prædita, ac cetera animata. Quod tamen non sequitur; siquidem natura, seu qualitas horum plurimum differt. Ad secundum dico, *calorem in cadaveribus*, morbo extinctis, non autem occisis, *non esse naturalem, sed ortum ex materia putrescente.* Ut in fimis atque similibus observamus fumum quendam exhalantem, producentem nescio quem calorem ex illuvie putrida natum, qui plane non est elementaris: ut ipse Galenus, calorem quendam fieri ex putrescentibus, affirmat. Atque hic est calor febrium quarumcunque putridarum in corpore humano nascentium, ex materia corrupta ortus; quem plurimi naturalem no-

noſtrum præter modum auctum, ob meatuum obſtructiones, deſtinatorum ventilationi internæ fornacis exæſtuantis, exiſtimant, ſed (ut arbitror) non ſatis firmo fundamento. Ergo calor naturalis eſt elementaris.

Ad ſecundum quod attinet, nimirum *calorem hunc naturalem non habere fixam quandam ſedem cui inhæreat, ſed per totum corpus diſtribui*, per ſe patet, cum minutiſſima particula ſine eo vivere non poſſit: Ergo *unaquæque pars tantundem in ſe ipſa fovet, quantum ejus opus habet.* Neque hoc modo Ariſtoteli adverſamur, qui libro ſuperius citato ait, in denſo corpore eſſe ſpiritum, in ſpiritu calorem innatum; ſiquidem in quacunque corporis parte reperitur aliquid denſius, aliquid mollius, in quod nullo, ut ipſe ait, intermedio incumbat, ut ſit ejus partis, in qua eſt, facultatum & operationum veluti baſis. Quod vero *unicuique parti proprius calor inſit*, nullo modo aliunde derivatum, ſed *jam ab ortu hunc ſuſcepiſſe arbitrandum eſt*; namque poſt aliquod tempus imminuendus erat, niſi ſanguine, mediantibus venis & arteriis, per totum corpus ferretur alius,

in corde identidem genitus, ad reſtaurandum expirantem, ut Averrhoes Collect. ſect. 2. affirmat. *Experimento quippe*, inquit, *anatomes compertum exploratumque eſt, corde corpuſculum contineri vaporoſum exquiſiteque calidum, quod ab ipſo per arteriarum ductus in univerſum animantis corpus derivatur, atque transmittitur.* Non tamen ſtatim in ortu hoc fit, ut plerique anatomici, aliique exiſtimant, ob hoc, ex teſtimonio Ariſtotelis, cor primum vivere, & hoc præcipue velut punctulum quoddam albicans videri, nullo adhuc aliarum partium veſtigio apparente, audacter affirmantes; id ſic volente natura, ut calor & ſpiritus futuris imbecillulis ſubminiſtraretur. Etſi enim bullæ quædam ab anatomicis ſubalbidæ viſæ credantur, non tamen potuere affirmare, hanc vel illam, cerebri aut cordis, vel etiam hepatis fuiſſe effigiem. Imo corpus albicans potius cerebrum exhibet velut natura ſua album & ſpermati ſimile, quam cor, rubicundum omnino corpuſculum, atque maxime denſum. Sed neutrum concedendum eſt, ſiquidem omnes particulæ corporis ſimul & ſemel adaugeſcunt, parique modo de illo

illo calore, qui ſpermati ineſt, participant: cum ante neque cor aut hepar vel cerebrum appareant, quam cetera omnia (unumquodque ſecundum magnitudinem & proportionem majus minusve apparens) velut compactilis quædam trama figuræ inter ſe texantur. Ita enim partes ſibi ſunt ſubalternæ, ut neceſſario ſimul perficiendæ ſint; creſcente tamen magis majori & digniori parte. Hepar chymo rudimentum ſanguinis non addet, niſi ſibi ante ab alio chymus præparetur; ita cor ſpiritus non perficiet, niſi ſanguis prius ſibi ſubminiſtretur, & ſic de aliis. Oportet præterea fieri recrementorum receptacula, ad expurganda ſuperflua: Ergo neceſſario totum compoſitum uno eodemque tempore completur. Nec mihi objicias, experientiam & obtutus tot virorum falli non poſſe, quin diſtincta à confuſis diſcriminent; Tibi enim cum viro eruditiſſimo Claudio Berigardo in Circ. Piſ. in lib. de anima, circ. de gener. vivent. reſpondebo, *An illi philoſophi, qui dicunt cœlum eſſe animal, negabunt formiculæ tenuium membrorum deſcriptionem, eo quod reſpectu cœli nihil videantur? an pulex carebit oculis, ſi cetus, aut*

elephas à tam exiguo corpuſculo videndi omnem rationem abjudicet? An quia tria corpuſcula ob albedinem citius ſe produnt diſtincta, ea quæ rubicunda ſunt, nondum erunt formata, eo quod omnia rubei ſunt coloris? Certe utraque meninx, quæ cerebrum complexura eſt ne diffluat, & oſſium cavernoſi ſinus, in quos cerebrum recondatur, ſimul cum cerebro formantur; imo, ſi diis placet, etiam prius formabuntur; ut ſecundæ, quæ embryonem involuturæ ſunt. Ergo *omnes corporis partes in ortu ſimul & ſemel ſuum calorem recipiunt*, nulla earum in alias hunc uberius aut parcius refundente. Sed in his fruſtra clamatur ad raucedinem usque, cum quisque ſequatur priores male iter ingreſſos: Excuſationem itaque habebit, qui publica via erraverit.

Tertium ſupereſt probandum, *viventia* ſcilicet *in ortu non ſuſcipere omnem calorem, quem poſthac habitura ſunt; ſed ſecundum ætates creſcere:* quod itidem facile præſtabitur ex ſupra dictis. Si enim calorem noſtrum elementarem concedamus, ſequetur & augeri & minui aliquando poſſe, propter motum illum rerum mutabi-

lium

lium perpetuum, qui in caducis cernitur: quippe ſtatuendum eſt, *vitam* nihil aliud *eſſe* quam *motum æternum corporum accedentium & recedentium, juxta uniuscujusque naturam*; quia motu fieri omnia in hoc univerſo videmus. Qui aphorismum 14. ſect. 1. objiciunt, contra ſemet pugnant, ſiquidem inquit Hippocrates, creſcentia quidem habere multum caloris, ſed non ſummum; alioquin corpus abſumeretur potius quam augeſceret, cum creſcens magis indigeat materia ad creſcendum, quam calore eam conſumente. Ergo Hippocrates non dicit, omnem calorem ab ortu ſuſcipi; Illud potius mihi velle videtur, quod juniores, vel qui creſcunt, ſint calidiores ſeneſcentibus, & iis qui creſcere deſierunt, propterea quod calore non indigeant. Atque ſic eos contra ſemet pugnare dico, quia Hippocrates illo aphoriſmo, ut & ſequenti 15. ejusdem ſect. demonſtrat, quasdam ætates eſſe calidiores; tempora item atque anni tempeſtates abundare calore, aut egere. Ergo contra ſemet concludunt, calorem noſtrum naturalem non totum in ortu baberi; ſed nunc augeri in nobis nunc minui.

Objicies: Si calor naturalis augeſceret, eſſet in ſenectute ſummus; quia, creſcendo per ætates tandem ad ſenium perductus, eo quod amplius creſcere non poſſet, quia tunc potius minuitur, ſummus foret: Sed contrarium experientia demonſtrat, atque ab Hippocrate id ipſum probatur, dum inquit, ſenibus parum calidi ineſſe, & ob hanc cauſam febres ſenibus non fieri acutas, quod eorum corpus ſit frigidum: Ergo calor naturalis non augeſcit. Reſpondeo. Etiamſi creſcat, tamen non ſequitur ſenium futurum calidiſſimum: Definitum enim habet tempus, ut & viventium incrementa: Alias etiam ultra ſenium creſceret, imo nullum foret ſenium, cum immortales, & incorruptibiles fieremus. Præterea, *non ita creſcit, ut quandoque non minuatur, ut in mutationibus temporum*, in *mala victus ratione*, in *morbis*; ſed *vix ille qui ſupereſt conſervatur*: poſtmodum *recuperata ſanitate, recto victus uſu rurſus reſarcitur*. Atque ita *hujus aut illius vitæ curriculum tam cito exigitur; quia* nimirum *calor ille ab ortu ſuſceptus non ſufficit ad producendum vitæ momentum, deficiente reſarciendi adminiculo.*

Quod

Quod si adhuc instes, quæro abste, quomodo generatio viventium explicari possit, si calor naturalis non augescat? Dic, quæso, unde tantus calor, qui singulis annis apud tot patres familias tot filios generantes consumitur? Tantumdem primo genito à patre communicatum est, quantum ipse suscepit in ortu suo: Quid ergo supereſt? Quid infantibus generandis? Certe, per te, non resarcitur, neque major fit quam fuit calor: Ergo rursus particula avellenda est pro infante secundo ex hoc calore. At totum absumsit prior; siquidem tantum primo infanti opus fuit, quantum patri dum gigneretur, & forte etiam majori indiget velut crassior futurus. Unde ergo eliciendus? non ex repullulante resecta parte, velut Hydræ multiplici renascente capite. Non enim video quomodo aliter te ab his expedias, nisi malis magis implicari. Sequetur enim ex suppositione tua, tres, quatuor, octo, aut decem filios copiosiorem non habere calorem quam habeat parens; & omnes partes caloris simul sumptas non fore majores iis, quas adhuc conservat pater.

Dixeris

Dixeris hæc inter varicosos centuriones,
Continuo crassum ridet Vulpenius ingens.

Quis enim mortalium dicet, quercum ex glande productam, tot myriadas glandium, 30, 70, 100, & 1000. anno rursus producentem, non habere plus caloris, quam susceperit à glande in ortu? Quid ergo? *Statuendum* est, *calorem viventium elementarem, sparsum per omnia membra, non omnem acquiri in ortu, sed augeri, mutari, & reficii.*

Vtrum corpora humana à cœlestibus afficiantur ut volunt Astronomi,

CAPVT III.

NEscio profecto, an mortales suæ sortis & naturæ pudeat, quod adeo cœlestibus se assimilent, ut *ortum & interitum ab illis pendere necessario* existiment, non victuri aut morituri, nisi prius disquisita ratione astronomorum de planetis, Luna, Marte, Mercurio, aliisque sideribus: An scilicet toto vitæ curriculo suos, ut ajunt, influxus benignos

aut

aut malignos experturi ſint, an vero jam-jam immineat interitus? *Fiunt calculi*, diei, horæ, minutarum, annorum, multorum retro ſeculorum, myriadum futurarum, & neſcio quarumnam fictitiarum, *in omen* hominis, totius univerſi, urbium, regionum. Quaſi vero mortali conceſſum ſit in cœleſtia inquirere, atque certo rerum omnium colligere durationem, aut excidium. *Horatio* quidem *vana* videtur *hæc aſtronomorum induſtria*, dum ode XI. ad Leuconoën inquit:

Tu ne quæſieris, ſcire nefas, quem mihi quem tibi
Finem dii dederint, Leuconoe. Nec Babylonicos
Tentaris numeros, ut melius quidquid erit pati:
Seu plures hyemes, ſeu tribuat Jupiter ultimam.

Verum, quia aſtronomi ita mentes plerorumque medicorum, atque ipſius etiam vulgi ſuis ſomniis occuparunt, ut aliud hoc ævo nihil credatur, quam quod aſtronomorum in ſideribus prævidit obtutus; Diligentius inquirendum eſt, an meditantibus ſomnia aſſentiri oporteat, ſedulo-

duloque examinanda ſunt eorum placita.

Mundum quidem à cœleſtibus intexentibus eum, intextuque concretis gubernari, ultro cum Ariſtotele concedimus, ſubſiſtente hoc rerum univerſo æterno motu, cujus principium cœleſtia creduntur: unde Ariſtoteles 1. Meteor. ab hoc, tanquam à prima cauſa, gubernari aſſerit. *Neceſſe eſt*, inquit, *totum hunc, qui terram ambit mundum cum ſuperis converſionibus ſic continuatum eſſe, ut omnis ejus virtus inde gubernetur: nam unde omnibus eſt motus principium, prima illa debet haberi cauſa. Præterea hæc ſempiterna eſt, neque loco definitum habet finem, ſed in fine ſemper. Itaque rerum, quæ in ipſo eveniunt, cauſas, quod quidem ad materiæ genus pertinet, ignem, & his cognata corpora, exiſtimari convenit: Hoc enim modo appellamus id, quod ſubjicitur, & quod aliquid fert: id autem quod ita cauſa fit, ut motus fit principium, ad eorum vim referri debet, quæ ſemper moventur.* Alium vero invenire modum, quo ſidera ſuis influxionibus (ut ajunt) mundum regant, plus quam cœleſtis eſt ingenii. Neque enim ſcimus, tonitrua, ventos, tem-

tempeſtates, maris æſtus, fluminum inundationes, & plura alia à ſideribus fieri, niſi quia id aſtronomi confinxerunt; demonſtrari autem poſſe vix credibile eſt, cum cœleſtium natura non in perniciem univerſi, ſed in conſervationem ejus operetur. Videmus quidem grandines, audimus tonitrua, miramur terræ hiatus; At non perſpicimus, quidnam ab aſtris cadat, quod ſit tantæ virtutis, ut aliquoties pene machina mundi ab eo diſſolvatur. Spectamus caliginem ſpiſſam nubium, at occultum illum mundi vaſtatorem, aſtrum inquam illud, pone latentem non videmus, quod tantam ſtragem concitat, unam tantum ob cauſam, quod aliud ſibi ſit hoc aut illo modo oppoſitum, hanc vel illam figuram cum eo efficiat, ſerius vel citius oriatur; placide alias volvente ſeſe ſuo epicyclo. Nempe quia naturæ cauſas ignoramus, cæleſti munere fieri arbitramur. Verum iſta mittamus, velut à propoſito noſtro aliena; Et quoniam *imperari naturæ, audacis eſt credere: nec minus hebetis, beneficiis abrogare vires: ſint iſta (ut rerum naturæ libuerit) aliis certa, aliis dubia, aliis probata, aliis damnanda;* Quædam tamen

men *examinanda* ſunt, *quæ hominibus maxime a ſideribus immitti creduntur*, & rancidulum quiddam ex hoc penu promendum, atque paullum melius hæc arcana Aſtrologiæ ſcrutanda.

Sin, has ne poſſim naturæ accedere partes,
Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis:
Rura mihi, & rigui placeant in vallibus amnes,
Flumina amem, ſylvasque inglorius.

Qui cum Heraclide dicunt, ab orbe Lunæ primum hominem cecidiſſe, fidentius affirmare poſſunt, omnia quæ apud nos ſunt, in orbe Lunæ reperiri, atque ad nos ea ferri per radios, aſſerente hoc ipſum Theſpeſio Cilice; Qui cum ex alto præcipitans expiraſſet, tertio die revixit, atque interea mente raptus ad cœlos mira conſpexit, quæ ad nos ab iis per radios traducebantur. Adeo ut non mirum videatur, ſi apud Pindarum quandoque *Luna* deliquium patitur, nimis quantum concuſſa tot puerperiis. Dicamus itaque aliquid de hac immenſa fœcunditate, quot olim, quotque hoc ævo circa hanc delirarint; procul dubio etiam ab hoc

ſidere infatuati, nocte intempeſta cum maxime ſua luce mutuata tremit, in turribus aut tectis conſidentes. Quid ergo obſervarunt? Hoc eſſe ſidus, quod terras ſaturet, accedensque corpora impleat, abſcedens inaniat: cujus ſpiritus maxime ſentiatur quibus ſanguis non ſit: cum lumine ejus homo ſanguine augeatur minuaturve, in omnia eadem penetrante vi: quod corpus fluxile aſtrictumve reddat, viſu ſuo in tabem reſolvat occiſa ferarum corpora: quod hos melancholicos, illos jocundos, hos ſanos, illos infirmos, hebetes alios, ingenioſos quosdam, multos imbecillos, paucos fortes efficiat, inſinuante ſeſe ſcilicet inexplicabili modo hac multiplici in mortalium mentes diverſitate. At quam *vana*, & quam *Judæorum ſomnia ſapiant*, ſatis animadvertet, qui conſideraverit cœleſtium naturam, quæ eſt ſimplex, incorruptibilis & immutabilis, noſtræque naturæ expers: ergo *nullo modo cœleſtia nos afficiunt* velut incapacia cujuscunque alterationis. Unde *nec Luna ſilens, nec prima, nec quarta quidquam benignum vel malignum in ſubjecta corpora humana exerit*, cum ſit ejusdem plane naturæ ac cetera ſidera.

Imo nunquam eſt prima, nunquam quarta, aut quocunque modo vocari poſſit; ſed ſemper eadem, illuminata nimirum (ut volunt omnes) radiis ſolis in eam continuo ſeſe fundentibus: nunquam augetur minuiturve, ſed eadem perpetuo ſuo circulo uniformiter difformiter (ſic in ſcholis loquimur) cum toto hoc univerſo, proprio quidem motu ab occidente in orientem, diurno vero ab oriente in occidentem fertur. Quod vero nunc duplici cornu, nunc ſemicirculo, nunc perfecto ſeſe prodat, fit, quia variis cœli partibus movetur, non tamen exorbitans; ideoque ob intercapedinem globi terreſtris diverſo modo erumpens cernitur, quod uſu venit iis, qui in diſtanti navem ſpeculantur; primo apluſtria ſolum, deinde malos cum antennis, mox integram conſpiciunt.

Quæ cum ita ſint, *non video*, *quomodo Luna in viventibus tam diverſos poſſit producere effectus*, ut ſilens cerebrum homini copioſius inſtillet, interlunio idipſum exſorbeat; ſanguinem in venis arteriisque contentum plus æquo tumere faciat, carnes minuat, pituitas generet, aliaque ſimilia efficiat: *quæ* ſane *nulli alii adſcribenda ſunt*

sunt quam proprio cujusque hominis temperamento, quod cum illo universi immutari necesse est. Quare *ridendi* sunt, *qui defectui Lunæ tantam vim morborum, alterationum, tristitiarum, affectuum, exitiorumque attribuunt.* Ac si tum Luna quidquam mutaretur a levissima causa, quia nimirum umbra terræ interjacet, tremulum lumen mutuatumque intercipiens: an propterea diris modis in nos sævire licet, ut ultrices in viventia iras explicet? an adeo mutabilis est, ut ab umbra quasi omnino tolli possit? Vellem profecto Minerva cor ita limasset, ut intelligere possem virtutem illam mirabilem umbræ terrestris, quæ conservatricem universi facile irritari sciat in perniciem sui, sæviente etiam in maria hoc immani sidere. Illa, quæ de defectibus traduntur, rejicienda sunt tanquam scrupulosa, vetulisque loquacibus in futuras fabulas relinquenda: Quando enim Luna aut sol obscuratur, nihil aliud fit quam transitus cujusdam corporis opaci, quod impedit emissionem radiorum solis, nobisque lumen intercipit: ceterum aliud nihil efficit, quod universo vel viventibus possit esse exitio. *Timemus* vero interdum, *ni-*

hilo quæ ſunt metuenda magis, quam Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntque futura. Timor ille, *ſeu apprehenſio futuri mali* nos *in morbos conjicit*, in deliquia, in cordis palpitationes, in manias, in melancholias, &c. *non* autem *ſolis aut Lunæ deliquium*, quod exiſtimant. Et ſane his timidioribus regerere poſſem illud Periclis Athenienſis ad nautam ſuum. Navigante enim eo CL. navibus ſol defecit; unde gubernator totus attonitus factus eſt. Interim Pericles chlamyde oculos circumdat, petens, utrum quid horrendi ſentiat? abnuente illo, *Quid igitur*, inquit, *intereſt, aut quid diſtat hoc ab illo, niſi quod majus quiddam eſt chlamyde, id quod nunc tenebras agit?* Quam mallem (*Sed vappæ ſumus, atque Apollinares Lixæ*) tot mutationes rerum, corporum ægritudines, aliosque effectus, naturæ univerſi attribuere, quam *nugis* illis *aſtrologicis*, quas nullus credit, niſi qui nondum ære lavatur & quas vir eruditus, & ipſe Aſtronomus Argolus ridet, & *poſcentes ab ſe horoſcopa* Coliones (Italico ſcommate) *vocat, volentesque decipiendos eſſe* ait: *conſcius* nimirum ſibi, *quantum ſit in his inane.* Ceterum crumenæ ſuæ ſatis propitios ſiderum influxus

expe

experitur, cum calculus ipsius optime compensetur. Ita olim Crinas Massilienſis patriæ muris extruendis C. talenta, simili ratione ex mathematica medicina corrasa, dedit. Itaque solum ad medicorum fraudes influxus cœlestes prosunt, ut excusationem habeant, si errores in medendo committant, culpantes sidera, quod medicamentis malignitatem immiscuerint. Sic *nugas discimus, præceptorumque medicorum obliviscimur*, quæ velut divina ab Hippocrate prodiere aphor. 3. sect. 1. Namque *jubet considerare* regionem, anni tempus, & ætatem, *non* vero *Jovem, Martem, Venerem, Lunam silentem aut deficientem*, primam aut secundam, aut aliud quid simile, *quod neutiquam confert ad morbos sanandos*. Quippe frustra medici tot syrupos, electuaria, pillulas, rotulas, potiones, pulveres, infusiones, inunctiones, emplastra, ustiones, sectiones, terebrationes, aliaque innumera invenere, si sanatio ab sideribus exspectanda est, & æger *meliora deos sedet omnia poscens*. Aut enim helleborus v. g. potus cogit Saturnum facescere in alium humorem, quam in illum, quem nunc gignebat melancholicum in homine, cum quartanam, febrem

domesticam, solvit, ducendo crassos in liene, & vase brevi, ventriculo atque hypochondriis delitescentes humores; aut frustra sumitur velut inefficax, eo quod expectandum sit aliquod astrum, quod, erga nos factum benignius, morosum illum castiget, atque ægros nos sanitati restituat. Si primum; ergo virtus hellebori major est quam Saturni, eo quod Saturnus ab helleboro in actum cogatur: cessante enim febre, signum est melancholiam humoresque crassos evacuatos esse; ergo & Saturnus cessat ab infundenda melancholia, cujus causa dicebatur. Si secundum; ergo detegitur medicorum & propollarum scelus, quo scilicet absque necessitate & efficacia pharmaca propinant, marsupio solum, non vero ægro conferentia. Quod sane nemo dixerit, cum certi reddamur ab ipsa experientia, helleborum, aliaque medicamenta ducere nocuos humores in corpore contentos. *Frustra* igitur *consulitur astrorum constitutio in medicamentis adhibendis*, quasi hæc ipsorum essent instrumenta, per quæ in infirmos vires suas exerant.

Verum multos audio reclamantes, me contra experientiam, & contra omnium opi-

opinionem asserere fidentius; imo temere defendere quæ nullo modo constare possunt: ut cum *dico, Lunam in nostra corpora non agere, temperamentum nostrum non ab astris pendere*, nihil referre in medicamentis exhibendis vel Martem, vel Saturnum, aliudve sidus, Lunam primam, silentem, aut interlunium observare; Hæc, inquam, temeraria, & non nisi ab hebete prolata videbuntur, eo quod adversus experientiam quotidianam pugnent. Sed & ego reclamo, utrum ita lunaticus sis, ut ignores, quod Luna & cetera cœlestia æque naturæ universi subjiciantur, atque mortales & alia terrestria? Est quippe quid *majus, à quo universa pendent*, scilicet *illa mundi anima, quam ignorare volumus*; seu sit *pulcher ille rerum concentus*, quo unumquodque movetur, seu quid aliud, quod *mentibus humanis sit imperceptibile*. Vicissitudine vero mutationeque, non Lunæ solum, aut aliorum siderum, sed totius universi, unumquodque afficitur. Quod sane satis capere poteris, si *consideres, hunc tali tempestate bene se habere, illum ægrotare, hunc mori, illum in tabem solvi*, &c. & tamen Luna viget, astra micant, *cur ergo non*

omnes ſimul ægrotamus & morimur? quia, inquis, non unius ſumus temperamenti; ratione enim ſubjectorum agunt radii lunares, ob eamque cauſam diverſos producunt effectus. At, dico ego, iidem ſunt radii qui ægrum ſanant & ſanum morbo afficiunt; quomodo ergo utrumque ſubjectum diverſimode afficient? nam alterutrum eſt inproportionatum; aut enim ægrum ſanabunt ſolum, aut ſanum morbo afficient ſolum. Frigus nihil aliud producit quam frigus, calor calorem, &c. ita radii lunares aut morbos ſolum producent, aut valetudinem, in qualecunque tandem ſubjectum agant. Eja vero *dic, quomodo agent cœleſtia ſi agant?* an occultis qualitatibus, ut ajunt, an vero qualitatibus primis aut ſecundis, aut alio quodam modo imperceptibili? Sane non primo modo, quia corpus naturale nullius alterius actionis capax eſt quam naturalis: ergo non poterit eſſe ſubjectum alicujus actionis ſupernaturalis; qualis eſſet illa occulta qualitas aſtrorum: ſiquidem occulta qualitas nihil aliud eſt, quam ratio quædam agendi contra naturalem conditionem, ut qualitas prima & ſecunda eſt ratio agendi natura-

turalis; id est, secundum exigentiam subjectorum in quæ agit. Ergo cœlestia in corpora non agunt occultis qualitatibus. Non secundo, quia frustra excogitaretur iste modus, cum primæ & secundæ qualitates *ab elementis* fluant, *ex quibus constamus*: unde potius *ab his patimur ratione qualitatum*, quam ab astris à nostra natura omnino diversis; quia elementa sufficiunt ex se ad actionem qualemcunque eliciendam naturalem. Ergo neque qualitatibus primis aut secundis in nos agent. Non tertio, quia nulla datur alia actio præter has duas, id est, naturalem & supernaturalem. Ergo *cœlestia nullo modo nos afficiunt, nullos morbos creant, nulla bona aut maligna sunt.*

Fernelius præter ceteros maxime siderum influxus celebrat, negantes vero illos mirum in modum corripit. Nam, *Gravis est*, inquit, *eorum stupiditas, qui sidera nihil in aera nisi calorem aut frigus, imbres aut siccitatem lumine motuque suo inducere contendunt. Si illa bene constituta omnium vitam tuentur, cur male constituta vitæ non incommodent? Illinc prima ac præcipua est rerum omnium salus atque conservatio, illinc quoque interitus. Has causas atque vires soli de me-*

dio tollunt, & tanquam nullæ sint, negant, qui hujus sunt contemplationis imperiti. ô vere felices qui secretiore hac cognitione sapientissimi fiunt, qua neque ad præcavendos, neque ad persanandos pestilentes morbos est ulla præstantior. Virum quidem eruditissimum maxime observo, authoritatemque ejus plurimum veneror; sed in reprehendendo mihi paulum severior videtur. Unde cum *Plinio* lib. 2. natur. hist. cap. 8. regero: *Sidera quæ affixa diximus mundo, non illa, ut existimat vulgus, singulis attributa nobis, & clara divitibus, minora pauperibus, obscura defectis, ac pro sorte cujusque lucentia, adnumerata mortalibus, nec cum suo quæque homine orta moriuntur, nec aliquem extingui decidua significant: Non tanta cœlo societas nobiscum est, ut nostro fato mortalis sit ille quoque siderum fulgor. Ceterum æterna est cœlestibus natura, intexentibus mundum intextuque concretis.* Quare *neque conservatio, neque interitus a sideribus dependet, cum nobis nihil sit cum eis commune*, ut supra dicebamus. Quod si aliqua fiant in hoc rerum universo, vel morbi alicujus nova clades incidat; *non* propterea *sidera culpanda sunt, quasi ea hujus causa forent;* sed *constitu-*

ſtitutiones anni, mutationes temporum, rerumque viciſſitudines conſiderandæ ſunt, ex quibus omnis mutationis vel in melius vel in pejus cauſa derivatur. Quocirca concludamus, *ſidera actionis cujuscunque naturalis, quantum ad corpora caduca & corruptibilia, eſſe expertia.*

De Aere
CAPVT IV.

SIc conſtituta noſtræ doctrinæ baſi, ut omnia quæ corpus reſpiciunt in viventibus ſint elementaria, aggredimur nunc ipſa præcepta *ad conſervandam ſanitatem* neceſſaria, atque incipimus ab *aere*, tanquam ab *elemento ſine quo vivere non poſſumus.* Breviter itaque, & ſine fuco de his omnibus agemus, cum hactenus ea quæ ſuperſunt, *absque diſputationibus*, aut ſolum levioribus tradituri ſimus, memores, *vulgi caput ab hujusmodi argutiis, vel potius vitilitigationibus, præter modum intumeſcere.*

Multa quidem ſunt, quæ mortalibus & *damno* & *utilitati* ab elementis accidunt; ſed *ab aere* potiſſimum *majora experimur, circa quæ medici plerumque cæcutiunt*, & *quia*

quia hujus actiones ignorarunt, in occultas qualitates seu supernaturales retulerunt. Et sane *hoc elementum est*, quod nobis *toties negotium facessit*, insinuans sese clanculum per meatuum foraminula tam multiplici periculo. Hinc enim subitæ mortes, hinc tot novæ morborum clades, quas in nescio quæ hominum fata, præstigias, divinas ultiones referimus; cum tamen *ab aere, aut impuro*, ut in phtisi, aut *impermeabili*, ut in apoplexia, epilepsia, & quovis alio morbo comitiali, deriventur. Siquidem in nostro corpore non aliter fit, quam in focis; ubi, quotiescunque materia combustibilis ab humore redundanti nondum satis est exsiccata, ignis, ob copiosum fumum densantem aera, qui continuo cum igne mixtus ei immittitur, nunquam excitandus est, nisi defœcato aere fumus evanuerit, subeunte identidem alio atque alio aeris copioso flumine: Sic, inquam, si corpus nostrum aliqua parte præcipua clauditur obstruiturque, concidit atque emoritur; quia fuligines aut fumi, seu aer intus impurior factus, erumpere, & novus purusque subire non potest, qui mundificet & refrigeret, ut Avicennas ait,

ait, infecta præcordia. Propterea natura pulmonum folles tubosque largita est, ut inspiratione & exspiratione ab inquinamentis purgaretur, fieretque totum corpus perflabile ad emittendas retentas fuligines. *Necesse* est igitur, *ut aerem sedulo observemus*, in quacunque tandem regione, & ubicunque degamus, cum *hic sit sola morborum pernicies*.

Hoc itaque primum cavent prudentiores, *ne domos apud* lacunas aut *aquas pigras*, vel specus subterraneos ædificent, quod *ab his non nisi aer impurus noxiusque exhalet*, qui morbos illos procreat, quos vulgus arbitratur in basi domus nuper extruendæ ab incantatoribus occultari, sicque perpetuo aut patrem familias, aut alium quempiam domesticum morbo incognito conflictari. Atque huic rei fidem addit summam, quod post projecta fundamenta ædificii vetustioris sæpenumero inveniant aut chartam exesam, nominibus scilicet ædificantium, vel architectorum consignatam, aut laminam plumbeam vel alterius cujusdam metalli, in qua ab ærugine abrasas literas vix aut leviter conspiciunt, adeo ut neutiquam legere, aut mira quæ-

quædam nomina divinare possint, quibus insit tanta vis morbifica, sana postmodum degente omni domo, postquam hæc dira pestis projicitur: Hoc vero fatale malum maxime a mulierculis immitti crine super fundamentum sparso, addito etiam carmine in pejus exitium colonorum, testantur qui eas ab opere tractando procul arcent. Verum hæc velim mittas tanquam absurda, atque *causam morborum referas in aerem* vel *natura sua malignum*, vel *a putridis corruptum*; ut, a lætamine circum domos exhalante nescio quem fumum fœtidum noxiumque; a lacunis item vel *piscinis pigrescentibus, quibus nihil pejus propagari ad morbos alendos unquam possit*; quod nebulas identidem procreent, quæ dolenti *capiti* mirum quantum *nocent*; imo ipsis *pulmonibus*, dum aer ab his continuo attrahitur, seu purus, seu infectus, si vel momento e cubiculo in hortum exeamus: unde quandoque ingens expectoratio oritur, anginæ periculosæ, pulmones ulcerosi, aliaque mala plurima; quæ cum semel enata sunt, nullo quasi remedio curantur. Atque ita *vulgus* hæc non considerat *pronum semper in deterius*, sed *inania quædam*

pro

pro cauſis agnoſcit. Vim quandam morbificam domibus ineſſe non uſque quaque negaverim, cum experientia conſtet, plures infirmari intra proprias ædes, obſervato licet vitæ regimine, cæloque exiſtente puriſſimo; eo quod *in domibus aer facilius corrumpatur, ob multitudinem clauſtrorum, cellarum vinariarum, aut aliorum ſpecuum ſubterraneorum, ex quibus nullus niſi aer impuriſſimus effundatur, qui ignotos hos morbos progignat atque cauſetur.* Quare ſummopere *cavendum eſt, ne aer nimis claudatur in cubiculis aut* locis frequentioribus; ſed *ſæpius expulſetur, ut novus ſuccedat mitior ſereniorque*: Non ut plurimi ſolent, qui vix radiis ſolaribus rimulam perviam relinquunt; præcipue *in cubiculis*, ubi octo, decem aut duodecim ſtertunt ſingulis noctibus, ſi ſingulæ valvæ feneſtris non ſufficiant, tres aut quatuor obtrudunt noctu diuque, ne feneſtræ caligent. Qualis, quæſo, aer intra illud tam craſſum ſubolidumque tot hominum virus nocturnum erumpet? quam ſanus? quam blandus? quam frigeſcens? Ingens ſane fœtor alitur, qui, cum tantillum januam aperueris, quam primum per ædes ſpargitur ſummo habitantium tædio.

tædio. Atque *hunc esse maleficum domesticum* affirmo, *qui cunctos capitis morbos procreat*, quos sæpissime experimur; *stomachi* item *fastidia*, *vomitus*, *vertigines*, *deliquia*, & quæcunque alia contingere solent. *Caput* enim *atque ventriculus*, *cum jam ab humoribus*, *noctu præcipue sese moventibus*, *gravetur*, *magis magisque ab aere illo impuro afficitur*, eo *quod spiritus impuri reddantur impuriores*. *Mos* ergo ille *suffiendi cubicula mane & vesperi*, qui apud nos observatur, *optimus* censendus est, cum *ab hujusmodi suffitu aer reddatur purior rariorque*; præcipue *si suffitus* fiat *ex ligno juniperino in frustilla concisо*: *ardet* enim *facile* nullum ferme fundens ex se fumum, sed *flammam solummodo raram tenuemque*, *ex qua aer rarescit atque corrigitur*; præterquam quod *virus odorque ille molestissimus e cubiculo evanescat*, *succedatque gratissimus*. Convenit etiam, *mane*, *sesquihora post solis exortum*, *fenestras*, *imo quidquid cubiculum claudit*, *aperire*, *ut succedente nova aura vetus illa infectaque commigret*. *Ante vero* quam sol oriatur *non suaserim allicere aerem*, cum sit ipse *satis ex se molestus*, velut *nimis frigidus aut humidus*: postquam autem

autem sol rediit, temperatur mundaturq; nonnihil ab inquinamentis nocturnis, redditurque attrahentibus salubrior; iis maxime, *qui frequenter mane tussiunt expectorantque, quibus aer frigidus mirum in modum nocet, irritata ab hoc nimis quantum expultrice. Si cœlum non sit serenum, sed pluviosum nebulosumque, fas sit vix respirasse, non dico ne minutius foraminulum aperuisse*; siquidem hoc pejus est, quam cum *cervinus gelidum sorbet sic halitus anguem, quod homini nihil possit contingere nocentius, hujusmodi illuviem* (*nebulas* dico) *pulmone prælargo hausisse.* Inde enim asthmata, peripneumoniæ, difficultates spirandi, anginæ, *catarrhi*, capillorum effluvia, oculorum stillicidia, dentium dolores, infinitaque alia oriuntur, quæ *non nisi hoc aere infecto vitato curantur.* Quod si negotia urgeant, ut cogamur rus ire, aut peregre proficisci, tutum erit caput integrum humerorum tenus tegmine illo scythico armare, atque sic, quantum fieri potest, ora spiritumque ab hac impuritate defendere.

Multi consuevere, æstivo tempore, ad aerem corrigendum, ædes aqua recenti spargere, aut e floribus, & rosis, & similibus

libus distillata. Sic enim ajunt, excitari spiritus præ calore torpentes, siccitatem aeris puritate aquarum humectari atque temperari. Quod ipsum commodissimum arbitror, *purgatis* ante (*quotidie* scilicet) *cubiculis triclinisque, ne sordes in angulis putrescentes correctum ante aerem magis magisque inficiant.* Scio ista dicta pudenda; sed & scio dictu necessaria. Quæ enim ad sanitatem spectant dicenda sunt, licet lixæ & calones nobis aliquanto ludant. Addo & *vestimenta sæpius apricanda & excutienda esse, subuculas, lectos, conopea introspicienda, renovanda, siccanda*, aliaque hujusmodi præstanda, quæ *homines honestos, nitidos, diligentesque* apprime decent. Utrum vero conducat unguentis odoriferis perungi, quod ad aerem nocivum conferre dicant, vix judicavero, si considera vero dictum Ciceronis affirmantis, unguenta illa meliora esse quæ terram, quam quæ crocum sapiunt: L. item Plotium, L. Planci bis consulis Romani fratrem, in Salernitana latebra unguenti odore proditum fuisse. Itaque penes sapientes de hoc judicium esto.

Sunt qui maxime in urbibus loca habi-

tanda

tanda obſervent, ita ut vicos, quadrivia, & angiporta vitent, eo quod venti ibi facile occludantur, qui aerem turbant, exaſperantque, ſiccant aut humectant. Quod ſi contingat in hujusmodi locis quenquam habitare, vitet quantum poſſit ex ea parte qua venti violentius ſpirant feneſtrarum poſituram, ut *quod neceſſitate malum eſt arte induſtriaque reddatur optimum.* Verum vitium hoc in urbibus plurimis uſu venit, magnifice quidem & ſplendide extructis, ſed parum ad ſanitatem, aut colonorum commoditatem proficientibus; In quo peccaſſe dicunt Neronem Imperatorem, Urbis incendiarium ſimul & reparatorem. Siquidem domos plateasque laxas, optimeque dimenſas extruxit, attulitque novæ urbi decorem. Multi tamen credidere, veterem illam formam ſalubritati magis conduxiſſe; quoniam anguſtiæ itinerum, & altitudo tectorum non perinde ſolis vapore perrumperentur: nunc vero patulam latitudinem, & nulla umbra defenſam, graviore æſtu ardeſcere. Sed quod Romæ calor efficit, hoc *ventorum immenſi flatus* in Belgio efficiunt; præcipue vero Amſtelædami, quod nimia vicorum euriporumque ſit latitudo, & nullus ventus pos-

sit excludi: ideoque hyeme frigoris maxima est sævitia, adeo ut vel in plateis nimis algeant, vel in domibus, ex acri bituminis (cespitem Batavi vocant) erumpente fumo, qui plane capiti pectorique plurimum officit, nimis vexentur. Verum de his architectos consulito, cum mei non sit muneris exsequi, si tamen quædam de villis domibusque æstivis, atque ipso rure quidquam dixero.

Domos æstivas quod attinet, & ad ostentationem fastumque, & ad sanitatem erunt aptissimæ, si in *locis eminentioribus* extruantur, *quod aerem habeant serениorem, subtiliorem atque frigidiorem:* quæ *commoda æstate* maxime *spectamus;* præcipue vero cum Seirius sulcat agros, ut possimus aliquantisper respirare, animamque haurire, dum viventia præ calore labascunt. Mos vero ille circumdandi palatia piscinis, fossisque aquarum pigrarum, nunquam sanitatem quærentibus probabitur, nisi perpetuo purgentur ab uligine fœtida putrescente, quæ insectis, anguibusque consternit nidulos, atque ibi nil nisi veteres in limo ranarum audimus querelas. Dicant hujusmodi aquatiles, quibus in lacunis fum-

ſumma eſt voluptas, quid commodi inde
percipiunt? Murænas nutriunt? nempe
bufones. Anguillas? ſerpentum agmina.
Ciprinos? gluten glareamq; ſpurciſſimam.
Cur ergo purgites hoſce circum domos
tam diligenter fodiunt, vel potius negli-
gunt? Decorem ædificiis, roburque con-
tra prædones præbent, ne videlicet ab
urbe ſubmoti ſpoliati occidantur. Egre-
gium ſane tutamen, dum latrones arcent,
morbos mortemque ipſam accerſunt. Ne-
que ſufficit magnificas ædes ruri poſſidere;
ſed *natura loci* conſideranda eſt, num ipſa
temperamento noſtro conveniat, ut in iis
ſani non ægri habitare poſſimus. *Rus*
quidem per ſe *ſaniſſimum* eſt, eo quod ſit
propatulum; ſed hæc vel illa pars plus mi-
nusve conducit ad valetudinem, ob pro-
priam naturam ſoli calidioris, frigidioris,
humidioris aut ſiccioris. Unde Attilius
Regulus ſuadet, agrum neque fecundiſſi-
mis locis inſalubrem, neque effetis ſalu-
berrimum eſſe parandum: quod hic pau-
pertatem, alter ægritudinem cauſet. *Mal-
lem* tamen *prædium paulo ſalubrius quam fe-
cundius; neque vero tam exiguum, ut pran-
dium potius mallem quam prædium.* Nam il-
lud, cujus

Erucam male pascit hortus unam,
Et quo nec cucumis jacere rectus,
Nec serpens habitare tota possit:
Cujus sat coclea peracta messis,
Et mustum nuce conditur picata,

facile cum modicis pecuniæ reditibus commutarem, contentus paulum egestatis paulumque insalubritatis commiscere. Sed mittamus jocos. *Rus, montiumque juga non solum ad aerem mutandum; sed & ad bene beateque vivendum expetenda sunt,* quippe *quæ summam corporis animique tranquillitatem promittunt:* nempe quibus celebris antiquitas suæ, Numinumque dicavit primordia, *lucis nemoribusque* summam, velut Dei domicilio, venerationem attribuens. Qui metus omnes, qui strepitum Acherontis spernit, qui urbibus cedit, qui ruri habitat, annon omnem auram pestilentem vitavisse dices?

Non *illum* avaræ mentis *inflammat* furor:
Qui se dicavit montium insontem jugis:
Non aura populi, *& vulgus infidum bonis,*
Non *pestilens* invidia, non *fragilis favor:*
Non ille regno servit; aut regno imminens,
Vanos honores *sequitur, aut* fluxas opes;
Spei metusque liber. *Haud illum niger*

Edax

Edax livor *dente degeneri petit.*
Nec ſcelera *populos inter atque urbes ſita*
Novit; nec *omnes conſcius* ſtrepitus pavet.
Haud verba fingit. *Mille non quærit tegi*
Dives columnis; nec trabes multo inſolens
Suffigit auro.
Sed rure vacuo potitur, & aperto aere
Innocuus errat. *Callidas tantum feris*
Struxiſſe fraudes novit; & *feſſus gravi*
Labore niveo corpus Iliſſo fovet.
Non in receſſu furta & obſcuro improbus
Quærit cubili, ſeque multiplici timens
Domo recondit: æthera ac lumen petit,
Et teſte cœlo vivit. *Hoc equidem reor*
Vixiſſe ritu, prima quos mixtos dies
Profudit ætas.

Felix itaque fuerit, *quisquis* (niſi res arctior impediat) *villas prædiaque* hujusmodi (quanquam & mapalia) *poſſederit*, *vitæ tramam longius protrahet*, quam ſi *in urbibus inter tot morborum ſemina*; nempe inter *tot comeſſationes*, inter *tot æterna prandia*, inter tot *inexplebiles cœnas*, ſagina gravis incipiat jam mori. Hic *contentus vivit oluſculis, aquaque recenti*, quibus *ad ſanitatem* veſcitur, nulla pavens mentis vertigine. Cum ab ambulatione feſſus redit, loco quieſcit, ubi

Nec blando rota ſit moleſta ſomno,
Quem nec rumpere nauticum celeusma,
Nec clamor valet helcyariorum.

Illud tamen monendum eſt, *ne humi recumbas ſub arboribus venenatis*, ſeu quæ umbra ſua nocent, vel ſub quibus plurimum inſecta degunt, ut ſunt annoſæ fagi, quercus, nuces, coryli, juniperi: vel in locis ubi napelus, doronicum, cicuta, aliæque herbæ ſimiles venenatæ creſcunt, cum facile ab his infici poſſimus, patentibus tum maxime totius corporis poris, per quos quod nos ambit facile ſubintrat. Statim a ſudore ſubterranea vites, & balineas: cum ſciamus, plurimos hac ſola ratione repente fuiſſe extinctos. Nam calor ille vitalis ab externo educitur, ex quo ſpiritus vitales evanidi ſuccidunt, atque ita vita ſimul cum frigidiori aura evaneſcunt. Inter utrumque conſiſtas velim, *ne nimium caleas, neque nimium frigeas, uno eodemque impetu, ſed gradatim* extrema commutes. Hoc plane *unicum ſanitatis compendium* eſto.

De Aere Peſtilenti

CAPVT V.

PAuca mihi apud vulgum *de peſte* verba facienti, pauciora apud eruditos dicenda occurrunt. Apud hos quidem, quod ſit valde arduum, diſſentientes componere, audax factum, eorum placitis non conſentire: apud illos vero, apud quos omnia ſunt immodica, quod iræ vindictæque cœleſtis piaculum nuncupent, neque fieri poſſe dicant, quin peſtis graſſans pœnam irati Numinis portendat, unde nefas ſit apud populum aliter niſi ſacris hanc luem expiaſſe. Peſtem, in pœnam humanæ corruptelæ a Deo immitti, non negaverim, imo religioſius *vindictam ſcelerum noſtrorum* affirmaverim, ruente ſemper in pejus humano genere. Namque (ut inquit poeta)

Cœlum ipſum petimus ſtultitia: neque
Per noſtrum patimur ſcelus
Iracundum Jovem ponere fulmina.

Pœnas itaque damus contempti ſupremi Numinis, atque ſic ope humana deficiente

divinam imploramus, ut propitietur afflictis. Sed quoniam a sacris abstinemus, & naturalia solum inquirimus, *pestis causam naturalem* indagabimus, ut, si qua hæc dira lues vitari possit, rationem modumque pestis cavendæ assignemus: pace tamen, & judicio eruditorum, licet apud vulgi potius quam apud eorum puteal hæc examinanda sint.

De essentia seu quidditate pestis non est quod disputem, cum absolute morbos illos quoscunque, quos totius substantiæ, seu toto genere præter naturam vocant, negem: *a causis* enim *naturalibus omnia fieri existimo*, ut nuper memoravi; id est, *morbos omnes a primis aut secundis qualitatibus elementorum oriri*, non autem a vi quadam occulta, tanquam majore quam possint esse elementorum effecta, *quamvis* horum *actiones, propensionesque, seu modum illum agendi secretiorem ignoremus*. Nempe impossibile credimus, muscas in politissimo marmore reperire posse quasdam asperitates seu prominentias, ut vocant, ex quibus digitulis obtutus fugientibus appensæ sese librent sustententque, eo quod aspectum nostrum fugiant? *Infinita sunt quæ per-*

percipere non possumus, ideone hæc esse aut fieri negemus? Multa mortales celat sacra parens natura; quæ si noscerentur, quid inausum foret etiam impossibilia scrutantibus? *Non fas sit itaque, quæ non perceperis, tanquam impossibilia damnare.* Verum si hoc meum assertum probandum sit, ex illo communi dicto probabitur, quod *frustra excogitetur causa supernaturalis, ubi sufficit naturalis.* Per se enim naturale potens est producere effectus velociſſimos, quales sunt morbi pestilentiales. Quid velocius lumine? tamen naturale est. Quid penetrabilius aere? & ipse item naturalis est. *Quid* ergo *opus illa tua supernaturalitate? quid tuis causis occultis?* Subjecta sane naturalia non sunt capacia alius agentis quam naturalis: Quomodo itaq; finges aliam causam quam naturalem in peste? Naturale enim & supernaturale in eodem subjecto non subsistunt: subsisterent vero, cum pestis naturalis esset, causa vero supernaturalis. Adde quod supernaturale idem sit ac si diceretur nihil cum naturali habere commune, seu quod non possit esse cum naturali. Tu vero hæc flocci-facis, atque ad cœlestia recurris, lacessis sidera, & ne-

& nescio quæ alia, quæ mortales ita affligant, ut vix quandoque unum vivens ex tot myriadibus superſit.

Qualis Erichtonios pestis populata colonos
Extulit antiquas per funera pacis Athenas:
Alter in alterius labens cum fata ruebant.
Nec locus artis erat medicæ, nec vota valebant.

Cesserat officium morbis, & funera deerant
Mortibus, & lachrymæ: fessus defecerat ignis,
Et coacervatis ardebant corpora membris.
Ac tanto quondam populo vix contigit heres.

Hanc tu hominum ſtragem in occultas quasdam qualitates referes, in ſtellæ cujusdam crinitæ malignitatem, aut etiam lunæ quoddam deliquium? ut & illam, quam refert Pomponius Letus in Epit. quæ C. Vibii Treboniani Imp. temporibus orta eſt, duravitque decem annis & undique graſſata eſt. Initium ſumpſit ab Æthiopia, conſumptis primo meridianis, per orientem divagata, ceteras orbis partes invaſit, ubique maximam partem incolentium exhauſit, pleraque loca inhabitata reliquit. Ego vero *cauſam* fidentius (licet omnibus velut

velut abſurdam) *in inſignes totius univerſi mutationes referrem, fatiſcente quandoque rerum natura*; unde ſæpe mundi excidium, agrorum ſterilitatem, hominum paucitatem, totumque univerſum infirmum & languidum conſideramus, admiramur, timemus. Nihil tamen apud vulgum proficimus hæc narrantes: Namque apud eum *Incerta hæc ſi tu poſtules Ratione certa facere, nihilo plus agas, Quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias.* Quare alio mea vertenda eſt diſputatio.

Qui hominem cum univerſo comparant, atque ea in hoc parvo mundo fieri, quæ in illo majori exiſtimant, facile concedent, patiente uno, pati alium, temperamentum mutante uno, mutare & alium, ſicque inter ſe convenire, ut major quidem agat, minor vero patiatur, adeoque minor a majori gubernetur. Sic experimur homines læto cœlo, lætisque arvis, lætari, triſti, triſtari, volatilia item & quæcunque viventia, prout tempeſtas ſe habet, dulce aut durum quid ingeminare.

Haud equidem credo, quia ſit divinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major:
Verum, ubi tempeſtas, & cœli mobilis humor
Muta-

Mutavere vias, & Jupiter humidus austris
Denſat, erant quæ rara modo, & quæ denſa, relaxat:
Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
Concipiunt.

Quare *peſtes non niſi ab inſigni mutatione* fieri poſſunt, puta illas *velociſſimas*, & *univerſales*, quæ aliquando univerſum pæne orbem invadunt. Atque *ex his mutationibus tempeſtatum* Hippocratem illum ſapientiſſimum ſenem *peſtem* olim *prædixiſſe* exiſtimaverim, cum animadverteret, *ceteros morbos plerosque ex iis contingere*, ut Aphor. ſect. 3. aphor. 1. ſcribit: Mutationes temporum potiſſimum pariunt morbos; & *in ipſis temporibus magnæ mutationes aut frigoris, aut caloris; & alia pro ratione eodem modo.* Cum enim diu multumque obſervaſſet tempeſtates ſibi contrarias, annique tempora, quæ calida aut frigida, aut calida & ſicca, vel calida & humida eſſe oportebat, non cum ſtato tempore accidiſſe, ſed æſtatem v. g. non calidam & ſiccam, qualem decet eſſe, ſed humidam aut frigidam contigiſſe, autumnum putridum, *byemem humi-*

humidam, & ver frigidum pluvioſumque fuiſſe, *quid aliud prædicere poterat, quam morbos peſtilentiſſimos, febres acutiſſimas*, aliaque innumera, quæ *ex hac tempeſtatum varietate* oriri neceſſe eſt? Tunc quippe *corrumpitur aer*, atque eam induit naturam, quam credimus impoſſibilem ad tantam poſthac perniciem cauſandam, peſtemque tam exitiabilem procreandam. Hinc etiam *frugum immaturitas, quæ veſcentibus, etiam ſine infecto aere, graves morbos accelerat*; hinc pabulorum infectio, arborum lues, omniumque viventium interitus enaſcitur: quod ſcilicet *ex hac contrarietate temperamentum* univerſi mutetur, ex quo illud omnium noſtrum dependet.

Objicies: ſi mutationes temporum inſignes eſſent cauſa peſtis, tum maxime propter qualitatum exuperantiam, quam efficiunt; Sed hac ratione non ſunt cauſa peſtis: ergo mutationes temporum inſignes non ſunt cauſa peſtis. Aſſ. probatur, quia in mutationibus qualitates vel augentur vel minuuntur; ex qua auctione aut imminutione humores noſtri perturbantur, temperamentumque labefactatur, atq; inde morbi exoriuntur. Minor per ſe patet,

tet: Quia sæpe animadversum est, æstate ferventissima nullam pestem sæviisse, interdum hyeme incepisse, atque media æstate aut autumno cessasse. Adde quod pestis æque hyeme ac æstate, sicco ac pluvioso cœlo, bene temperato ac inæquali grassetur: argumentum evidens, qualitatum exuperantiam non esse causam pestilentiæ. Præterea: Si hujusmodi mutationes pestem efficerent, esset etiam animantibus communis, cum tamen *aliquando homines, aliquando sues, nunc equi, nunc oves, nunc boves, nunc aves ingenti strage intereant*: Ergo mutationes insignes non sunt causa pestis. Respondeo, pestem quidem non fieri ex sola qualitatis alicujus exuperantia, sed ex composita, seu ex temperamento qualitatum corrupto, unde necessario fieri oportet, ut tempestas illa, quæ pestem præcessit, aut comitatur, fuerit aut sit vel calida aut humida; ita tamen ut caliditas superetur ab humiditate, ex qua putredo summa oritur totum aera inficiens: vel frigida & humida, quæ itidem putredinem parit, corporaque per se exsolvit: adeo ut nunquam solus calor aut frigus, siccitas aut humiditas pestem pro-

produxerit. Alias Afri perpetuo, Arabesque, Æthiopes, Hiſpani, Italique, & quaſiscunque natio tandem ſit calidior, peſtilentia affligerentur, quod apud eos calor ſatis ſuperque exuperet: Sauromatæ item, Jazyges, Scythæ, aliique immanes populi, jam diu defeciſſent, ſi ſolum frigus peſtem efficeret, cum ſemper rigeant. Nimis, heu! nimis ſalubriter degunt, nimisque vivunt in perniciem ævi noſtri, in exitium regionis illius locupletiſſimæ celeberrimæque, in qua pejus ipſa peſte ſæviit tamdiu hæc orbis dira lues: Quæ utinam adhuc longius extra polos exularet, ne multitudo illa tam barbaræ gentis negotium nobis intricatius faceſſeret. Quare & æſtate media vel in initio, autumno, hyeme, aut vere, peſtilentia incipere aut deſinere poteſt, cum quocunque tempore mutationes fiant. Non enim peſtis incipit æſtate v. g. quia æſtas eſt, ſed quia hoc potiſſimum tempore, pro nunc (ut ajunt) talis viget conſtitutio, quæ facile ſuſcitet morbum hunc velocem atque venenatum. Quippe ſi æſtas ſe habuerit ſecundum naturalem ſuam conſtitutionem, nunquam æſtate morbi maligni excitabuntur;

Quod idem de aliis temporibus obſervandum eſt. Quod vero objicis, cœlo bene temperato æque ac inæquali, ſicco ac pluvioſo, peſtem ſæviſſime graſſari, nihil urget; ſiquidem velim *ſcias, aeris corruptelam e regione in aliam ventorum vi ferri, atque ita poſſe aerem, alias puriſſimum temperatiſſimumque, ex hoc veneno infici*, licet tempeſtates, puta æſtatem, autumnum, hyemem, & ver, fuerint ſecundum naturalem conſtitutionem. Sic hanc noviſſimam *peſtem* hinc inde cœli aerisque motu, *ventorumque impetu deportatam fuiſſe* animadvertimus. Sæpe vero accidit, aerem tam longe corrumpi, ut uno eodemque tempore plures regiones, imo univerſum orbem occupet, ideoque diutius ſæviat ſuccumbente penitus natura, quæ poſtea nulla niſi maxima rurſus mutatione erigenda eſt. *Quando* vero *in una quadam regione aut civitate ſolummodo peſtis graſſatur*, ſcito *eam ibi ex vaporibus e terra ſublevatis*, aut cadaveribus projectis, vel *ex quadam alia re putrida ortam eſſe*, ſolumque ibi perſiſtere, *niſi ex contactu aliis communicetur*, atque hi morbi venenati a quibusdam non peſtilentiales, ſed popula-

res,

res, endemii, epidemii vocantur, quod horum non ſit tam repentina ſtrages, interitusque ſubitaneus, quam ſit ea, quæ ab aere ſublimiori immittitur. Sed reſpondendum eſt ad id quod de animantibus objicitur, ea emori ſine humana lue, atque inter ſe non omnia, ſed nunc pecudes, nunc boves, nunc equos interire, tanta velocitate, ut nulla ars profit.

Nec mutari pabula refert,
Quæſitæque nocent artes: ceſſere magiſtri
Phillyrides Cheiron, Amythaoniusque
Melampus.

Dico itaque, pari ratione in ſummis illis mutationibus homines ſimul cum animalibus interire, parique peſte affligi, pravitate nimirum infectioneque aeris. Quamvis enim non idem temperamentum nacti ſint, idem tamen aer hauriendus eſt, purus vel infectus, cum æque ex eo vitam ducant. Atque *in hac lue univerſa ne minutulum quidem animal reperire eſt, quod non languorem univerſi perſentiat.* Ea quippe, quæ extra aeris inquinamenta vivunt, piſces nimirum, quibus ſemper recentem aera ſpirare datur, intereunt, atque

maris immenſi prolem, & genus omne natantum
Littore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus
Proluit: inſolitæ fugiunt in flumina Phocæ.
Interit & curvis fruſtra defenſa latebris
Vipera, & attoniti ſquamis aſtantibus hydri.

Verum, *ſi quando animantia peſte aut tabe laborant, non ex aere attrahitur virus, ſed ex pabulo infecto, ex nebulis aut pruinis* aut exhalationibus terrenis, *ex aquis corruptis*, ex herbis natura ſua venenatis, quæ uno anno plus creſcunt quam alio, labes contrahitur. Unde impoſſibile eſt, quin imnos æqua peſtis ac animalium redundet, cum carnibus ipſorum ſaturemur, eorum exuviis tegamur, & ea quotidie, propter ingentem uſum, contrectemus, non ſolum dum ſervire apta ſunt, ſed etiam dum in futuram ſpem nutriuntur. Vidimus etiam ita boves equosque tabe turpi dilapſos, ut mox humo tegere, foveisque abſcondere neceſſum fuerit, ne putredo ſtabula locaque vicina contaminaret: pecudes item ita putres, talique illuvie infectas, ut ne contingere quidem absque noxa daretur: *Nam*

Nam neque erat coriis uſus, nec viſcera quisquam
Aut undis abolere poteſt, illuvieque pereſa
Vellera, nec telas poſſunt attingere putres.
Verum etiam invisos ſi quis tentarat amictus,
Ardentes papulæ, atque immundus olentia ſudor
Membra ſequebatur: nec longo deinde moranti
Tempore, contactos artus ſacer ignis edebat.

Ex his colligis, *peſtem facile communicari poſſe ex veſtimentis infectorum*, licet diu ſervatis, multumque apricatis. *Degunt* enim *clanculum rerum ſemina*, & nullo quaſi involucro teguntur, donec materiam, aut ſubjectum nacta ſint, ut ad incrementum exſurgant, ſerpantque longius, ſuppeditante ſeſe paſſibili materia. Sic in navibus mures enaſcuntur, quod adſit pauxillum ſeminis, ex quo mus ſine propagatione vivere incipit inter ſalis granula, inter frumenti cumulos, atque inter alios victus commeatus, in quibus nullum muris veſtigium apparet, & tamen principium, ſeu ſemen muris ineſt: cui ſi accedant requiſita ad murem producendum,

ſtatim mus producitur. Atque ſic exiſtimant in ſublimi ranas generari, cum pluviæ velut tepidæ decidunt, continentes corpuſcula quædam, quæ mox in ranulas abeunt; adeo ut quibusdam ranas copioſe aliquando pluiſſe videatur. Sic inquam diu ſemina peſtis, id eſt, corpuſcula quædam imperceptibilia, ſeu neſcio quid aptum ad concipiendum exitium ex peſte naſcens, deliteſcit, quod poſtmodum aut induta veſte aut contrectata, quod ſolum incitans in actum requirebatur, ingentii diſcrimine ſeſe in vulgus profundit. Sed ſatis deliravimus in his examinandis, nunc dicendum, *quomodo peſtis vitanda* ſit. Dico itaque *univerſalem vix vitari poſſe*, cum nimis repentina ſit, atque ab aere mortifero, qui integras regiones occupat, ortum ducat; cui medicus, vel quisquis ſit alius mortalis, ſerenitatem inferre, puritatemque reddere nequit. Quare inevitabilis eſt: Tum quia natura ipſa univerſi deficit, tum quia nulla methodus in ea obſervari poteſt. Ubi vero nulla methodus ſeu ratio medendi obſervatur, nihil agitur, niſi quod morbus augeatur. Tempora enim ita velocia ſunt, ut eorum motus

tus obſervari non poſſint, ſæviente jam incremento, antequam principium internoſcatur, aut extincto jam infirmo, cum primum ægrotare incipere arbitramur. Quare, ut apud Hippocratem acutorum morborum nulla eſt certa prædictio ſalutis aut mortis, *ita in peſte ob occaſionem nimis præcipitem nulla certa cura aſſignari poteſt.* Sed facilis erit vitæ noſtræ jactura, ſi cum univerſo moriamur: nimis alias

vitæ eſt avidus,
Quisquis non vult, mundo ſecum
Pereunte, mori.

Si vero peſtilitas *in quadam urbe, aut vico,* aut quodam alio loco ſolum *graſſetur,* multum *proderit ex eo diſcedere.* Qui enim ab inquinamentis ſe abſtinet, non facile fordeſcit: ita *qui aerem infectum fugit, ab eo non læditur.* Fuga vero *ſtatim in principio* inſtituenda eſt, antequam labem, occulte ſaltem, ſi non aperte, contraxerimus, ne potius plus loci mutatio noceat, quam juvet. Maturat enim facile interitum mutatus aer, ſi jam præcordia infecta ſint. Verum non ſufficit in ſuburbana ſolum abiiſſe, cum idem fere ſit ac ſi in urbe manſiſſes, niſi quod populi frequentiam,

& ita contactum vites; Sed omnino *terminos loci transgredi oportet*, quousque cœlum sincerum reperiatur. Hoc saltem velim observes, ne vulgo stultissimo credas, quod nihil proficiamus vel abeundo vel manendo, cum dirus ille comes sequatur a tergo: Salvos enim nos inquit: etiam inter ipsa cadavera, si fortuna volet. Quasi vero in ignem conjecti non comburamur? in puteum lapsi non suffocemur? apage cum hac contumacia. De præservantibus, ut vocant, nihil dico, cum infinita sint, quæ sibi omnes inveniunt. Alii enim ruta hortensi & capraria utuntur, alii cœpis & alliis, licet nonnulli hæc damnent, alii oleo juniperino, alii nucibus, alii angelica, &c. Ideo his nihil addo, præter admonitionem ad chirurgos, ut nimirum evacuationem utramque, & sanguinis, per venas, & materiæ bubonum, per sectionem, non ita insulse administrent, adjicientes emplastra, quæ vim habeant attrahendi putridi humoris, qui nondum est concoctus: propinantes item vinum austerius, nigriusque, ut vires ex sanguine exhausto labefactatæ reficiantur. Quasi vero vinum statim in

sangui-

nem convertatur, prout ignarus chirurgus expetit? hæc vero ruſticis plebeisque dicta ſunto.

De Cibo
CAPVT VI.

QUoniam *cibi* ad nutritionem corporis noſtri, atque ad ejus ſubſtantiam, ſingulis quaſi momentis pereuntem, aſſumuntur, multum intererit, *ſelectum in cibis* obſervaviſſe, atque *alimentorum* diſcreviſſe *naturam*. *Qualem* enim *cibum aſſumſeris, talem bonæ aut malæ valetudinis induces conſtitutionem* complexionemque, ſubſiſtente ex hac corporea viventium compage, ſub qua deficiente mens humana labaſcit, atque maſſam corruptibilem, vita abeunte, relinquit, cœloque, unde diſceſſerat, purior aura ſuccedit. Quare nonnulla ex innumeris *de cibis* dicenda ſunt; de qualitate nimirum & quantitate cibi, ut & hoc vitæ ſanitatisque periculum vitetur.

Circa *qualitatem* hæc obſervatu neceſſaria ſunt: calor & frigus, humiditas & ſiccitas, mollities, durities, craſſitudo, levi-

tas, tenuitas, &c. an cibus actu vel potestate caliduş assumendus sit, an siccior aut humidior, crassus aut tenuis, durus aut levis: ex his namque nostræ harmoniæ inter humores ordo dependet. Unde calidiores frigidis actu & potestate, humidisque assuescunt, contra humidiores calidis & siccis, adjunctis crassioribus, levioribus aut tenuioribus, prout stomacho & digestione valent. De *substantia* vero cibi inter tot differentias aliquid dicere velle, absurdum sane ridiculumque videbitur, cum *hæc nostra ætas* ita sit *sagax* in exquirendis delicatioribus, ut & *illa, quæ cibus non sunt, in cupedias vertat;* nec ulla major sit coquorum segete, jam non nobiles ab his distinguente coquendi industria. Vilescit mensa strata bubula, vitulina, capone, aut alio missu honestiore, nisi *centum patinas omnis generis cupediarum* sustinuerit: cui *tam arcte adsidemus, ut non tantum diem cum nocte protrahamus*, sed plus quam egerit cum Alcmena Jupiter, *in tres aut quatuor producimus.* Quasi vero orexis non *dimidia hora sedari posset*, tollique esurientis latratus? *heu prodigia ventris! hujus gratia præcipue avaritia expetitur;*

ur, huic luxuria conditur, huic navigatur ad Phasin, huic profundi vada exquiruntur, & nemo vilitatem ejus æstimat consummatio-nis fœditate. Quam *parvo aleretur, nisi* n tantum *excresset liguritio*, ut *ne quidem optima placeant!* Excutimus omne latus mundi, ad hoc solum, ut venter, minimæ alias capacitatis, turgidius fiat satur: tube-ra, boleti, & nescio quæ alia mortifera in pastum cedunt, gulam irritant, appetitum excitant, languentem stomachum fovent, gustui placent. Atque sic *tot condimentis ventriculum subfercimus*, ut ne quid vacui ad extendendum sit: Infelici nos docente exemplo, quod medici in medicamentis infinitas herbas, unguenta, pulveres, alia-que innumera in potionem misceant, ut sic, qualitatibus inter se contusis (sic enim loquuntur) melius operetur. Eodem pror-sus modo in cibis fieri dicunt: Si boni cum pravis commisceantur, ita attemperabun-tur, ut nullo modo nocere possint: Quare medici, dum gulosis occlamant, nil nisi ravim exasperant, cum hujusmodi cibo-rum mixtura plenitudoque optime prosit. Ita est sane, hoc *malum jam in consuetudi-nem cessit*, ideoque averruncari difficile erit,

erit, cum *antiquo illi rigori tantæque frugalitati simus impares. Lautitiæ* itaque concedenda est sed *modica*, suoque tempore atque conditione. Ut si *convivandum* sit, non te ingurgites, adeo ut vix respirare possis; sed *moderate* ex appositis degustes, memor, plerosque missus apud magnificos opulentiæ splendorisque gratia apponi. Quæ sane *moderatio* virum egregium decet, etiamsi nulla haberetur ratio sanitatis. *Privato* vero *tibi jus ex bubula, gallina, aut vitulina simul coctis, cum hamo castrati arietis asso sufficiat, missis cæteris irritamentis gulæ, aliisque condimentorum cupediis.* Aut, ne forte in durioribus dentes stridant, prout tempestas anni feret, *bedulum* sumito, qui sit

toto grege mollior, inscius herbæ,
Nec dum ausus virgas humilis mordere salicti,

Qui plus lactis habet quam sanguinis. Hic sane *aprugna sapidior, cervina gratior, ostreis suavior, ceterorumque condimentorum delicatior erit.* Hinc stomachus non gravabitur, hinc nulla orietur cruditas, hinc melancholia non accumulabitur, nec cistis tumebit ex bile redundanti; sed

ſed laudabilis purusque ſanguis efficietur, nullo muco, vel alio quocunque recremento turgeſcens. *Nec te pudeat*, quandoque *labris admoviſſe oluſcula, atque ex horto petiiſſe macellum*: Siquidem *cibus innocentior non alius invenitur, qui minus ſanitati noceat, plus emolumenti afferat.* Ridemus Hiſpanos Italosque ſobrios, rodentes porra, cæpas, allia, ceteraque olera, ſed in pudorem noſtrum: Hi enim diutius vivunt ſalubriusque, robuſti, agiles, ingenioſi, atque ad labores patientiſſimi. *Erubeſco ſane*, quoties *video abdomine graves ex germanis noſtris, obeſos, voraces, lupos inſatiabiles, qui vivere deſperant, niſi carnibus ſubferciantur, niſi bibant, niſi pergræcentur.* Unde apud ſeptentrionales ſumma feritas, ingens ſtupiditas, breveque vitæ curriculum. Edendum eſt ad ſatietatem, id eſt, quantum naturæ convenit, non autem tantum & tamdiu, quamdiu deglutire poſſumus, neſcientes ventriculi noſtri menſuram. Hiſpanos non imitandos uſquequaque, ſed conſiderandos propono, ut aliquid nobis ex nimiis cibis detrahamus; Quod videamus, *hominem etiam parvo poſſe bene vivere.* Quod ſi a culina dege-

degenerare pigeat, quantitatem saltem, tritumque illud, *Modicum, sed conditum*, observes. Cupedias quidem pares, perdices asses, linguas philomelarum, jecora anserum, testiculos avicularum, & quidquid luxui addi possit, exquiras, modo *quantitatem modereris*, satis sana & salubria erunt. His plura addi possent, sed justis de causis ab istis abstineo; tum quod *omnes sciant quam parce vivendum sit*, tum quod clamando parum proficerem. Hoc saltem præceptum accipias summe necessarium, *ne* nimirum *stata comestionis tempora nimis producas; Prandia sint brevia, cœnæ breviores, comessationes nullæ, merendæ raræ, jentacula minutissima*, servata ubique consuetudine, considerata regione, anni tempore, & viribus corporis expensis. *Sin ista spernas*, memineris, *singulis buccis superfluis te diem vitæ minuere*, atque præter illos *trecentos morbos*, quos vulgo numerant, clades alias infinitas accersere. Tunc quippe tarde nimis pœnitebit,

cum lapidosa chiragra
Fregerit articulos veteris ramalia fagi,
Tum crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et tibi *jam sero vitam ingemuisse relictam.*

De

De *pomis* & *juglandibus* hoc addo, non niſi *matura* mandi oportere, idque ſolum adjecto aliquo corrigente; ſiquidem alias putreſcunt, levitatemque ventris generant. Egregie ille ſibi ab his temperabat, qui *in ceraſis aliisque fructibus comedendis conſpicilia adhibebat, duplo majorem magnitudinem facientia: ut ſcilicet a multis abſtineret*, oculis, qui raro modicis contenti ſunt, ex magnitudine oblata, ſatiatis.

De Inedia

CAPUT VII.

UT a *nimio cibo*, ita ab *inedia* cavendum eſt, licet ante diem ſeptimum letalem non eſſe multi affirment; hæc tamen maximum negotium faceſſit, vita deficiente ubi incipit regnare. Hinc namque plurimæ oriuntur moleſtiæ, ventriculi languor, pituitæ copia, vertigines, pigritia, tabes, ſpirituum conſumptio, & poſtmodum interitus. Præcipue vero regnat, ubi nihil, imo in vacuo. Quia ventriculus inanis eſt, iras explicat, atque in totum corpus ſævit quamvis innocens, deficiente ſubjecto

jecto in quod vires exerat. Ut hæc sedetur, toties sudamus in perquirendis alimentis, in penu cumulando, ne forte, cum difficilis est annona, egeamus. Nempe identidem pabulum absumendum adjiciendum, ut & nos ex hac consumptione vivamus, quasi non aliter, nisi adjungendo, reficiamur. Multum itaque interest cavere ab *inedia*, non quidem illa, quam post crapulam suadent medici, sed ea, *quæ calorem naturalem extinguit:* nisi enim huic semper quid objiciatur quod absumat, paulatim emoritur atque evanescit. Id quod in focis animadvertimus. Cum lignum aut aliud combustibile deficit, extinguitur ignis: sic in nostro corpore, nisi alimenta calori naturali subministremus, necesse est eum extingui. *Pessime ii agunt, qui, cum diu esurierint, mox se cibis qualibuscunque explent*, atque ita appetitui plenius satisfaciunt, *cum tantam vim ciborum stomachus ferre non possit*, debilis prorsus, paucoque munitus calore: *Paulatim nutriendus est;* primo jusculis, mox alio atque alio alimento, quod concoctu facile, usque dum concoctrix pristinas vires resumpserit. Qui enim ignem extinctum ex inopia

pia lignorum rursus ex scintilla residua excitaturus est, non ligna viridia, aut trabes prægrandes siccas foco imponit, sed sulfurata, chartas, paleas, aut quid aliud quod statim ignem alat: Deinde carbones, mox truncos, aliaque diu duratura combustibilia. Ita *post famem* debili stomacho, illique calori sibi impacto subveniendum, non ovis dimidia parte, aut quadrante vituli, non decem libris bubulæ, sed modicis, concoctu facilibus, ut sunt aviculæ, pulli juniores, juscula; aut si hæc ex egestate haberi non possint, & sint privatis majora focis, pollenta tenuior, lac aliaque à vulgo ex pomis in penum servata, inanem stomachum recreabunt. Sed *male vetatur, quod nemo nisi invitus præstat: Credo* etenim *neminem esse, qui libenter, si habeat quod edat, jejunet*, geniumque suum tam facile defraudet.

Certum quidem statumque *jejunandi tempus* sancte ab Ecclesia præscribitur, pieque à fidei cultoribus suscipitur; de quo tamen medici nihil habent quod replicent, cum sit hæc *sacra fames*, quæ in scelera non cogit, sed in obsequia divina, corporisque nostri salubres castigationes, com-

primendo inconceſſas illecebras. Quare de diebus eſurialibus, quos quadrageſimales vocant, nihil dicendum occurrit, niſi illud quod Hippocrates in univerſum præcipit, ſic 1. aphor. 3. præſcribens: *Vaſorum conſidentiæ ad extremum non ſunt perducendæ: periculoſum enim. Et rurſus refectiones, cum extremæ fuerint, periculoſæ.* Vetat nimirum Hip. *famem immodicam, ſeu jejunium multorum dierum*, quod poſtea larga comeſtio excipiat: utrumque enim hoc extremum damnoſum eſt, ob ſubitas mutationes, quas itidem ipſe alibi interdicit.

Senes facile famem tolerant, tum ob imbecillum calorem, tum ob pituitam abundantem, tum ob conſiſtentiam in creſcendo, ubi plurimum alimenti requiritur: atque ob hanc cauſam *juvenes, quique adhuc creſcunt, nonniſi notabili detrimento eſuriunt*, atque à debita quantitate alimentorum abſtinent. *Corpus* itaque *neque nimis implendum cibo, neque nimis jejunio evacuandum.*

De Potu

CAPVT IIX.

PRæcipua corporis humani portio *in humido* conſiſtit, non quidem fluxili, ſed

ſed concreto; ita tamen, ut concretio quodam benigniori liquore attemperetur: qualis eſt omne potulentum, quod cum cibo & ſine eo, cum ſitis urget, aſſumitur; non quod ſimul cum alimentis concedat in ſubſtantiam humanam, ſed quod ſit velut vehiculum ſanguinis, circulatim, ut vocant, per totum corpus ſeſe moventis, ut, recens ſemper à corde recoctus, partes omnes refocillet. Unde rurſus per ſudores & urinas ſerum quoddam, ſeu humidum aquoſum excernitur, quod neſcio quid mucoris ſalſuginisque ſecum trahit, abluta velut & percolata, tali humoris aquoſi permanatione, totius ſanguinis maſſa, ſeu concreto illo ſanguineo, ex quo corpus noſtrum fit compactile. Quod vero *ſerum* ſit *ſanguinis vehiculum*, manifeſtum apparet ex venæ ſectione: poſtquam enim ſanguis paululum ſtetit, quidquid eſt aquoſum in vaſe ſupernatat, ſanguis autem ſubſidit undiquaque cohærens; non effluente diſtinctim utroque, ſed confuſim effuſo commixtoque. Quare *potulenta ſolum deſervíunt ad lentorem caſtigandum, temperandumque acrimoniam*, quæ ex humoribus aduſtis gignitur, ut in offis &

juſculis percipimus. Si quando nimis diu ebulliant, conſumptu humido illo dulciori, ſalſedinem acrimoniamque contrahunt, quæ deinde infuſa frigida rurſus dulcefcunt. Simili ratione *vaſa noſtra, lebetis inſtar, continuo calore fervent atque ebulliunt*, quid ni totum, quod habent, liquoris ſuavioris humidiorisque excoquant, unde *ſitis ex materia ſiccata & aduſta* excitetur? imo ſunt qui ſerio affirment, nos intus omnino eſſe grumoſos, tartareos, ſulphureos, & neſcio cujusnam materiæ ſalſæ, ex qua chiragra, podagra atque arthritides univerſæ progignantur, fluente quandoque, pluvioſo ſcilicet cœlo, hac difficili materia, effundente item plurimum iſtius liquati humoris veſica. Quæ ſi ita ſint, mirum eſt cur quandoque non conflagremus, lapideſcamus aut ſaleſcamus. Nunc vero redimus ad nos. *Potus* ergo *ſit humidum ſimplex* quantum fieri poteſt, non mixtum, non inquinatum, non fœtidum, non putreſcens, non ſalſum, non amarum, non acidum; ſed defœcatum, recens, limpidum, dulce, &c. *ne præcordia*, quia *per ea ſimul cum ſanguine fluit*, ſua qualitate *inficiat. Sæpe enim ſanguis optimus ex potu*

inqui-

inquinatur; imo *plerumque, præcipue ſi vacuo ventriculo potemus.* Nullus plane ad abſtergendas ſordes aqua turbida aut impura utitur, ſed clara & pura: ſic *ad abluenda viſcera, ad temperandum ſanguinem potus puriſſimus* requiritur, *ne quod purgandum erat, magis magisque contaminetur.* Unde aquæ paludoſæ, piſcinarum, limoſæ, fluviatiles, quondam gelatæ, minerales, ſeu quæ è locis metallicis fluunt, tanquam ſanitati perniciosæ, vetantur. Hinc enim obſtructiones, ſcirrhi, abſceſſus, tuſſes, exulcerationes, raucedo, ſcabies, mucus, facies plumbea, livida, pallens, atque id genus alia oboriuntur. *Utrum vero aquæ coctione corrigi poſſint, non facile dijudicaverim*, cum plerique medici jubeant ſedulo aquas coquere, pereunte ſic earum cruditate, quæ alias ſtomacho plurimum officit. *Scio* quidem, *dum aqua coquitur, partes ejus ſubtiliores in fumum, ſeu vaporem tenuem abire; qui ſi in linteo ſuſciperetur, nihil aliud eſſet quam aqua limpidiſſima, defœcatiſſima, puriſſima*: atque hoc ipſum experientia demonſtrat. *Si ita aqua evaneſcat, quid ergo in vaſe ſupererit? craſſum* nempe *recrementum*, & viſcidæ quaſi fæ-

ces, mox ſitienti in potum ſuavem ſanumque propinandæ: Quid ergo? Aqua, ita ut è puteo hauſta eſt, potanda? Ex dictis tu tibi ipſi reſpondebis. Ego, ſi quando *aquæ bibendæ* mihi venit *amor*, colatam charta bibula, ſeu linteo pertenui, *æſtate actu frigidam haurio, hyeme vero igni quidem appoſita, ſed ne tepentem quidem aſſumo. Decoquant alii aquas*, mox & illas hyement, nives glaciemque potent, pœnasque montium in voluptatem gulæ vertant, experiantur quidnam proficiat nunc mediis æſtibus algere, nunc difficili anhelitu fervere: tum nempe diſcent, poſt tot inteſtinorum tormina, poſt tot colicæ paſſionis immanes cruciatus, conducibilius eſſe hujusmodi *in bibendo delicias* neglexiſſe, atque puro fonte, ſic ut eum natura eſſe voluit, ſitim ſedaſſe, faucesque aridas felicius irrigaſſe. Sed quid tamdiu natamus? Quid *de aquis* præcepta tradere juvat? *Anſerum potus eſt, inquiunt*, non hominum, niſi balneis deſerviant: quid itaque in his tamdiu deliramus? rumpantur aquales, quibus ineſt vini pernicies, atque *dolia, amphoræ, congii, canthari, calices ad vina propinanda* laventur; ut Libero patri litent, ut

ut ebrii bibant, ut *intus forisque in vino natent*, ut sanguinem terræ perdant, *ut potatores*, *quantum duo cadi caperent*, *mejant*, mox exsiccatas intus paludes melius inundaturi. Jam enim nihil proficimus, *subitas mortes*, *senectutes intestatas*, *nervos tremulos*, *languentes artus* objeciſſe, cum inexpiabile peccatum ſit, homines bene monuiſſe, imparibus ad hæc præcepta animis, quos violentia penitus ſuffocavit. Nec eſt quod apud antiquos *ebrietatis prodigia* quæramus, cum hæc noſtra ætas nihil aliud ſit, quam *potatorum prodigium*: Adeo ut abſtemius fuerit Promachus bibaciſſimus, qui apud Magnum illum Macedonem in certamine vinario palmam meruit, ſi cum noſtratibus comparetur. Antonii item atque Neronis bibendo protractæ noctes, Novelliique Torquati Mediolanenſis *trium congiorum uno impetu exſorbitio* fabulæ forent, niſi *apud nos majora* fierent, inventa ex hac virtute nova gloria; gaudere ſcilicet, quod immenſam vim falerni, *in ſanitatem* Regis, principis, *amicorum*, commilitonis, *amaſiæ*, contubernalis, *in felicem diſceſſum*, *adventum*, *reditum*, *bis*, *ter*, *quater*, *octies*, *decies*, *ingurgitarint*,

addito *inſpectore*, ne quid ex immenſo vaſe vel tripudio minus excidat potandi liquoris. Quod *ſi circumactum poculum recuſes, jam quidquid eſt fictilium vel patinarum vel cyathorum in caput tuum dirigitur, vitris innumeris coopertus* ſcinderis; &, ſi fortuna te ſervatum velit, *lumbifragio auctus* à menſa propelleris. Si vero egregiæ ora ſemel atque iterum iterumque proflueris *ad interceptum uſque ſpiritum*, tum illi, cujus nomine *lagenarum pugna* fervebat, commendaris encomio multiplici:: Te potius animam vino ſubmergere voluiſſe, quam ſanitate m cari capitis colendique patroni omittere, nominique ejus, inter ſpumantes ſcyphos, non bene precari. *Quam felices Aſiatici, quibus vini uſus ademptus eſt! quam laudandi Thraces, quibus hunc ſuſtuliſſe contigit! Hinc enim ſalubrius compendioſiusque, imo, ut ipſi ajunt, humanius vivunt, ſublata hac totius univerſi pernicie, nunc in ſola Europa graſſante.* Nos vero hos barbaros vocamus: Quaſi vero barbaries ſit, non *ad fauces uſque vino repleri*, ſobrie vivere, non *centies in die mori.* Att humanitas eſt, *irritamenta* exquirere, quo plus bibamus: braſſicas virides, amygdalas,

as, cotonea, mala Appiana, atque id genus alia præmandere, idque ex medicorum placitis, quo major ſitis ad majores hauſtus vocet, quoque ex his temulentia minus ſentiatur, reſiſtente hoc ſcelere vaporibus ex vino ſublevandis. Heu nimis fecundas vites! Satius eſſet vos exſiccari, cum veſter ille liquor tam prodige per humanum corpus effundatur; nec periiſſe creditur, niſi ſic pereat, *tanto cum vitæ diſcrimine.* Ecce apparantur convivia, oportet *providere de vino:* non ad ſitim, non ad hilaritatem, non ad conſociandum cum cibo honeſtiori, non ad honorandos convivas: ſed *ad inebriandum, ad vomitus toties iterandos*, donec cum Caco Virgilii *procidant immemores ſui:* qui

ſimul expletus dapibus vinoque ſepultus,
Cervicem inflexam poſuit, jacuitque per antrum
Immenſum, ſaniem eructans, ac fruſtra cruento
Per ſomnum commiſta mero.

Non tamen ideo ceſſant, ſed *vaſa ingentiora* corripiunt, ut rurſus bibant: Quod ſi non amplius poſſint, *brevitatem ſpiritus, ventriculique parvitatem exprobrant*, atque

ſolum dolent quod adhuc vinum exſor
bendum ſuperſit. Quoties *natura clamat*
quam *modicis contenta* ſit, quot ſignis de
clarat, quid velit ac quærat, quid deſide
ret! Obſurdeſcimus tamen neſcio quo mo
do, nec ea, quæ ab ea monemur, audi
mus, ultroque ſedulo *de nobis ſollicitan*
contemnimus. Vult quidem ut vinum bi
bamus, verum non plus niſi quantum ſi
timus, idque ſtatis quibusdam tempori
bus, non totis diebus noctibusque, & ſe
quenti prima luce vix tunicam exſpectam
tes, quin duo aut tres ſextarii ſimul feram
tur; ut rurſus bibamus, quaſi multum im
terceſſiſſet, ex quo non biberamus. S
ſacra parens noſtra monendo nihil in no
bis proficiat, *pudor* ſaltem, *turpitudo & in*
famia nos commoveant, ab ebrietate eri
piant, *temperantes efficiant*, denique no
rurſus homines reſtituant, *degeneres aliàs at*
humanitate immani illa potatione. Dic, quæ
ſo, ebrie, quis *fructus ebrietatis?*

Inde animi caligo, & *magna* oblivio *re*
rum
Quas modo geſſiſti: tamen hoc tolerabile, ſ
non
Et furere *incipias.*

O præ-

O præclara vitæ commoda! Noſtrûm obiviſcimur, peritque nominis noſtri nomen; & pauxillum foret, niſi & homines nos eſſe non amplius recordaremur. *Furimus*; inſuper belluarum inſtar, atque amicorum mortes, conjugis liberorumque verbera quærimus, nullam aliam ob cauſam, niſi quia bibimus. Quid? an non *biberones* ex his pudor & pœnitentia intrat? ſic. Mutantur: alia namque nunc ora, alia pectora intueor: ſanitatem cordi habent, diuturnitatem vitæ volunt, naturæ & medicis obſequium præſtant, intemperiem moderantur. Verum me corrigendi æſtus, atque inſolentior ſatyra longius abripuit, penitusque ex meo orbe tulit: redeo itaque, paucula *de modo bibendi* dicturus.

Vetant medici ſitibundis, calefactis, & famelicis *vinum* exhibere actu frigidum; penetrat enim antequam calefiat, ut Avicennas, 1. can. fen 2. doctr. 3. cap. 11. de pulſu, qui provenit ex cibo & potu, teſtatur, inquiens: *Quod ſi, cum eſt frigidum, penetraverit, fiet ex nocumento quod non fit ex aliis frigidis rebus: quoniam illæ tardantur donec calefiant: neque earum penetratio eſt*

ita

ita velox ut istius: istud enim velocius penetrat quam compleatur calefactio. Nocumenta vero paulo post recenset in hunc modum: *naturam deficere facit, & ejus virtutem extinguit, antequam ad partitionem & distributionem & resolutionem perveniat.* Verum non ideo tam cito penetrat, quia est frigidum, sed ex qualitate sua propria, seu frigidum aut calidum assumpseris: Quocirca *jejunis* non propter frigus *interdicitur*, sed *propter subitam penetrationem*, quod nempe indigestum à vasis attrahatur, unde illa nocumenta proveniunt, quæ quotidie in potatoribus accidere animadvertimus. Et quamvis hæc ita sint, tamen *non adeo periculose mane pauxillum vini generosioris cum buccella panis assumitur*, cum ex ipso Avicenna, loco citato, *vinum sua essentia fortes efficiat sanos*, propterea quod velociter augmentum præstet in substantia spiritus. Quod si sextarios integros exhaurire volueris, tantundem sane adjicias cibi, ut vinum & digestio nonnihil morentur; alias statim *membra* occupabit, *reddetque* velut *torpentia: Repleto etiam exhalitu capite*, aggravatoque, *unde nullius rei nisi somni capiendi venit desiderium.*

Sunt

Sunt qui ſuadeant inter prandia *aquam* potare, hac fulti ratione, quod ſic virtus concoctricis reddatur fortior, collecto in unum ventriculi calore, villisque ejus melius intra ſe cibum rapientibus: ſic enim Galenum referre dicunt, ſuccum granatorum, qui alias frigidus eſt, calefactos ſemper efficere fortes, & hydromel frigeſcentes reddere vigoroſos. Addunt, aquam non tam cito diffluere quam vinum, ſed cum cibo mixtam coqui; adeo ut nullum periculum fuerit, quod intra præcordia cruda effundatur, quemadmodum vinum quod cito dilabitur. Ego vero *exiſtimaverim, vinum ſincerum*, id eſt, *neque vapidum, neque pendulum aut acidum, æque ſalubriter adſumi ac aquam frigidam*; quia ſuo calore vim concoctrici addit, melius coquendi illud ciborum minutal: quam ſane vim aqua potius adimit, niſi forte calor vires duplicet contra ſuum contrarium. Et quamvis virtutem augeat, non tamen tantundem, quantum vinum, ut eſt apud Avicennam, eodem illo capite undecimo, ubi ſic inquit: *Aqua vero, propterea quod nutrimentum penetrare facit, vigorat, & ſimilitudinem operationis vini operatur*: & quo-

quoniam non calefacit, imo infrigidat, non tantum auget in neceſſitate quantum vinum. Si igitur aqua inter prandia pota proſit, *vinum* magis proderit, *adultis* quidem, non autem *pueris, quibus nefas ne halitum quidem vini hauſiſſe:* ſiquidem *in poſterum ſatis addiſcent quomodo litetur Jaccho.* Quoties vero bibendum ſit, an ſemel, bis aut ter vel amplius, parum refert obſervaſſe, modo *proportionem ciborum, eorumque ſiccitatem aut humiditatem* conſideremus. Quippe *quæ per ſe humida ſunt, jam ſitim ſatis extinguunt, atque cibos comeſtos attemperant:* Sicca vero *potu* opus habent, ſed *modico, ne, quæ comederimus, in ventriculo* pleno liquoris, velut lenticula Æſopi in magna lebete, *natent.* Quare *potus cum cibo menſurandus eſt*, ita tamen, ut *quantitas cibi major ſit quam potus, quo facilius fundum ventriculi petat*, ubi egregiam volunt fieri concoctionem. De *cereviſia* & *ſpiritu vini*, quem *aquam vitæ* vocant, nihil mihi dicendum occurrit, cum *ſola quantitate noceant.* Cereviſia quidem fiat ex granis optimis, & aquis ſalubribus; *ſpiritus* vero *vini* non ſcelere propollarum corrumpatur, immiſcendo aquas corrodentes, aut

aliam

liam quamcunque ſpurcitiem, ut vim ei perditæ addant, licet *ex hoc plures intereant.* Obſerva, *lacticiniis utentibus neque vinum neque ſpiritum vini convenire*, ſiquidem hæc *ſumme contraria* ſunt: *abit* enim *lac in coagulum* ex his *aceſcens*, ut vidimus in infante, cujus nutrix conſueverat, quotiescunque lactaret, vinum bibere: unde infans, quia nutriri non poterat, interiit, repertis adhuc in ventriculi fundo caſeati lactis particulis. Sed hic à mulierculis Batavis ceterisque *Germanis* ridebimur, cum eæ, quo plus biberint, plus lactis laudabilioris effundant, ex quo *offas patrias*, ut ait Poeta, id eſt *infantes ſatis bene buccatos craſſosque* ceteris melius alunt nutriuntque.

De Motu

CAPVT IX.

UNiverſum ſolo *motu* perpetuo conſervari ab interitu poſſe plures philoſophi cenſuere, atque hoc uno cuncta fieri arbitrati ſunt, qui naturam principium rerum omnium pronunciarunt. Et ſane, ſi ſcientiis aliquid aſſequi a natura datum eſt,

eſt, ſatis hoc probabile videbitur recte conſideranti. Quid enim motum, cum jam cœperit in generatione & corruptione, quid ejus viciſſitudinem impediet? vel, ſi quando ceſſaturus eſt, quid eum rurſus reſtituet? vel quomodo unquam ſiſtetur, cum id quoque, per quod ſiſtitur, motus ſit? movetur enim ut moveat: quid ergo ex motu illo fiet? non perit ſed manet & manat, atque dum exiſtit, jam non fuiſſe putatur, cum ſit de ejus eſſentia ut non ſit. Hodie infinitæ ſubſtantiæ ad generandum aliquid moventur, cur non & cras, poſt menſem, poſt annum, poſt decem, mille, poſtque myriadas movebuntur? an non cras aliquid generabitur? ſi generatur quidquam, ergo & movebitur, cum generari ſit moveri. Nec potior ratio datur, cur hodie & cras aliquid moveatur, quam poſt mille annos, cum illo tempore non aliter movendum ſit quam nunc movetur, ſcilicet acceſſu & diſceſſu ſubſtantiarum. Nunquid cœlum & ſidera ante jam infinitum tempus aliter movebantur, quam nunc moventur, aut poſthac movebuntur? ſane tunc, modo, atque in futurum pari motu ferentur, cum nulla ſit

sit neceſſitas, cur aliter quam sic moveantur, vel penitus ceſſent. *Motus* itaque *hoc rerum universum ab interitu vindicat, auget, conservat.* Verum quidquid sit de hoc motu, nihil ad disputationem noſtram facit, jocunde lector, neque ideo ista explico, ut impias quasdam consequentias inde trahas, cum solummodo in hujusmodi ineptiis ludamus; quocirca his supersedeo. Quippe

Illud in his rebus vereor, ne forte rearis
Impia te rationis inire elementa, viamque
Endogredi sceleris:

de motu illo igitur differamus, de quo medici sit differere, quique *ad sanitatem* aliquid afferat utilitatis.

Motus apud medicos nihil aliud *est* quam *exercitatio corporis*, quomodocunque hæc tandem fiat; seu, est quoddam *facere aliquid*, ut barbari loquuntur, *ne corpus humanum oscitando, seu nihil agendo langueſcat, sed motu quotidiano excitetur, reficiatur*, habitus ille naturalis conservetur, & vires augeſcant; denique *ut vivamus*, cum vivere æternum moveri sit. *Varia* vero sunt *corporis exercitia*, eaque *utilia* omnia; qualia sunt artes omnes mecha-

nicæ, agricultura, ſtudium, equitatio, haſtiludia, curricula, navigatio, ambulatio, ars pugilum, & id genus alia, quæ magis minusve corpus exercent. Circa ſellularia neceſſario occupantur plebeji, cum ſic panem ſuum liguriant; ideo ipſis exercitium non præcipitur, cum ad labores naſcantur: unde ſine alia exercitatione eis ſatis magnus excreſcit edendi appetitus, ſi modo quid habeant. *Agricultura* ruſticis quidem convenit, ut corporibus ad patiendum duris robuſtisque; ſed *non adeo male etiam politioribus conveniret, ſi ſcirent, quantum voluptatis in hortenſiis ſit, quam delectent bene diſtributi areoli, arborum dimenſæ ſationes; florum omnigenorum, nunc guttatim, undatim modo, tum pectinatim, geniculatim item atque mille modis diſcretorum aſpectus gratiſſimus; poma, magnitudinem genusque quotidianum, arte nempe ſic coacta, excedentia; vitium pulchre in cancellos curvatarum optanda umbracula*; atq; ſexcenta alia *animum recreantia*, quæ *in hortis agrisque excolendis* reperiuntur, præterquam quod redditus ſatis ampli, magnumque ex his capiatur vectigal. Ideoque hujusce rei exempla adduxiſſe me non

non adeo profecturum existimo, cum jam sciant omnes, *Catonem* illum *Censorem*, edito etiam agri colendi volumine, *agriculturam exercuisse*, Curium inter eruenda rapa à Samnitium legatis inventum, Cincinnato per viatorem, agri quasi tecto pulvere dictaturam obtigisse, aliosque imperatores maximos, reciproco quodam studio & agros & castra coluisse: *Gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore: sive illi eadem cura semina tractabant, qua bella, eademque diligentia arva disponebant, qua castra: sive honestis manibus omnia lætius provenunt, quoniam & curiosius fiunt.* Quare *vix aliud exercendi genus jocundius innocentiusque poterit expeti, quam interdiu in hortis, vel etiam in agris, in exscindendis stolonibus, in putandis vitibus, in serendis oleribus occupari; quoniam in his labor nimis gravis non est, cum sit cum voluptate conjunctus.* Hinc cibi subit voluntas, *hinc animi corporisque vigor, quidni saniſſime his exercitiis degamus?* Sed rustici hoc agunt, inquis, sordidiusque quam ut à nobilibus, a viris honestis tractetur, hoc opus est. Tu vero, si quid sordidum insit, absterges, atque, si aliquando dignaberis,

non ruſticum, ſed *nobilem, ſed virum ingenuum, ſed egregium, ligones, harpagones, raſtra, aliaque inſtrumenta tractaſſe dices*, in nobile probumque verſo hoc à te exercendi genere.

Qui ſtudium literarum inter exercitia referunt, immerito faciunt, cum jam nihil ſit pernicioſius: ſtulteſcimus enim, inquiunt, ſenſumque communem amittimus, rerum civilium incapaces reddimur, dum in ſcholis nihil niſi ineptias, pueriles ſcurrilitates addiſcimus, nulla poſthac praxi ad bonam frugem, ad uſum reipublicæ reducendi. Quippe ſatis comprobatum eſſe, *in civilibus ab eruditis potius peccari* quam ab iis, qui, ſcientiis contemptis, ſola audacia judicioque naturali publicis privatisque rebus ſeſe immiſcent: *Erudiri* item melius *adoleſcentes* tractando res graves præſentes, quam legendo obſoletas, & ætati noſtræ parum aut nihil ſimiles: atque ob hoc Catonem olim, virum alias ſatis factioſum, literis egregie luſiſſe, cum diceret, Iſocratis diſcipulos *in ſcholis* conſeneſcere, ut apud inferos cauſas, quas in fidem ſuam recepiſſent, patrocinio tuerentur. Præclaræ certe exaggerationes,

&

& fluens exprobrandi oratio, judicio vervecino, a quo provenit, perquam dignissima. Stulteſcimus, inquis; & quomodo? *diſcendo* aliquid. Et qui? qui ſcientiis operam navant. Ita eſt profecto, *hoc ævo qui ſapiunt, inſipiunt, & qui ſcientias diſcunt, ſtulteſcunt*, ſubverſa omnium rerum ratione. Quid eſt apud mortales quod a ſcientiis non dimanet? ſi quid habes, quod reipublicæ, quod rebus gerendis ſit peraccommodum, licet tu ipſe inter ſcientias non quæſieris, ab iis tamen, ſub quibus praxin agebas, didiciſti, qui rurſus ab aliis, vel ipſimet illud didicerant. Dic, quæſo, quis felicius rempublicam adminiſtrabit, ſcientiarum ignarus, & cui nihil inſit præter gerendorum exempla præſentia, an vir doctus, atque variis priſcorum recentiorumque monumentis inſtructus, quæ tot exempla ſint ad eligenda quæ faciat quæque vitet, quæ ſequatur, quæque ad præſentem tempeſtatem accommodet? quis hominum mores, quis temporum moderamenta melius conſiderabit? illiteratus, inquies; & ideo in tempus difficile ſeponendus, nunquam alienis, quæ ignorat, exemplis decipiendus. Ii vero, qui-

bus Minerva cor politius limavit, longe aliter reſpondebunt: *Impoſſibile* nimirum eſſe, *quin republica ruat, ubi deficiet eruditio.* Si quid enim acciderit, quod tempore illius, qui rempublicam gubernat, non evenerit, unde malo incognito medebitur? ab experientia enim non poterit, cum tale quid ipſo regente non uſu venerit, cui par illi tempori medicamentum adhiberi poſſet. Quid ergo? deſperandum erit. Quomodo vir doctus reipublicæ labenti ſubveniet? diu multumque volutatis rationibus, adductis etiam majorum exemplis, comparatione hujus temporis cum præterito facta, aſſimilatis item utriusque hominum ingeniis, modum tandem eliciet, quo vel ratio regendi mutari, vel quæ nunc eſt, ſed depravata, in meliorem reſtitui poſſit.

Verum animadverto, *ſtudioſos* ipſos vulgo anſam præbere, litteris ſibique ludendi. *Cum* enim *ad academias mittuntur, non libros, ſed gladios, fiſtulas exploſorias, aleas, pocula, & neſcio quæ puerilia tractant; pro auditorio plateas frequentant;* pro magiſtris Pantomimos, funambulos, audiunt, ſpectant, mirantur. Et *ſi quando auditoria intrant,*

intrant, ad hoc ſolum ingrediuntur, ut ſeſe in ſcamnis librent, quantum ab heſterna compotatione ſaginati ſint, auctо ſatis abdominis pondere; *nec curant, quis vel quid dicatur, ſed ſolummodo adſunt ut ſtrepant & ſcamna gravent.* Vel *ſi operam ſtudiis navant, fabulas diſcunt & ſeria negligunt*, hiſtorias accumulant, citationes notant, multaque ex variis autoribus decerpunt; ut cum domum redierint, tanquam optimi analectæ, in communi ſermone, in ſympoſiis, in conventibus, promant ex congeſtis meliora, citando Platonem, Socratem, Ariſtotelem, Ciceronem, Senecam, Livium, Salluſtium, Tacitum, Halicarnaſſeum, Diodorum Siculum, Dictin Cretenſem, Pauſaniam, Plutarchum, Polybium, aut alium quemcunque: quo nihil poteſt dari rancidius. *Quid* enim *ſciunt illi cum quibus diſcurris, quinam fuerint iſti autores, aut quid ſcripſerint, quos tu ita affatim citas, atque etiam ultra propoſitum*, ut ajunt? *Hæc* nimirum *vere ſcholaſticum ſapiunt, vel potius pædotribam, unde merito audientes nauſeent. Quaſi vero non poſſis aliter doctrinam oſtentare, quam miſcendo linguæ patriæ ſententias quasdam latinas elumbes*, aut omnino bar-

baras. Mitte hujusmodi ineptias, atque ex his, quæ nuper ex tot autoribus collegeras, *aliquid judicio acri dignum effice, quodque in rem præsentem sit, & dic aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet*; ut convivæ audiant, ut intelligant, *longe aliter se habere studia, quam existimarant antea*, cum jam a viri docti ore pendeant, *illusi aliàs sæpenumero a nescio quibus scholasticulis surdis & mutis.* Dicent procul dubio, tales esse dignos, qui clavo reipublicæ assideant, qui sciant *Res regere, & captos ostendere civibus hostes*, qui aliquando rebus fessis subveniant. Digna itaque cœloque proxima *est scientiarum ratio*, atque *exercitium honestissimum, nobilissimum, voluptuosissimum.*

Dicerem aliquid *de exercitiis nobilium*, de hippodromis scilicet, hippomachiis, & arte pugilum, seu de armis tractandis, de sphæristerio, de choreis; verum non est mei muneris, neque hujusce loci: illud saltem monuerim, *ne ad hujusmodi exercitia jejuni accedant, atque in iis modum servent.* Graviſſimos enim labores ista superant, licet nobilia sint; quare *nulli nisi robusto subeunda.* Optime meminimus ado-

adoleſcentum quorundam, qui ita vehementer in ſphæriſterio luſerant, ut ſanguis ſimul cum ſudore induſium penetraret. Atque alter, vix poſt exſiccationem domum reverſus gravi morbo bimeſtri decubuit. Sunt qui navigationem ſummopere probent, eo quod velint, omnem redundantiam pravorum humorum vehementi illo vomitu ejici, ſicque ventriculum caputque a recrementis purgari, mireque ex pondere illo levato refici. Quod quam opportunum ſit, ii, qui aliquando navigarunt, de hoc judicium ferant, ego quidem contraria expertus ſum. Si quis experiri cupiat, brevem transfretationem ſuſcipiat; ut, ſi vim maris ferre non poſſit, brevi remeare, terramque attingere conetur. *Inter tutiſſimos corporis motus eſt ambulatio, quam unusquisque moderari poteſt.* Hæc *ante cibum matutinis horis* fiat, quocunque loco ſalubri, humili vel edito, pratis aut agris; imo *in cubiculo*, *in atrio*, *in horto* optime ambulamus, mox reſumpturi graves curas. In hoc itaque nihil reprehendendum animadverto, niſi quod ſudor abſtergendus ſit veſtesque mutandæ, ſi adeo cucurrerimus.

Atque *hæc sunt potissimum exercitia sanitati utilia, hominemque honesto loco natum decentia*, quibus multa alia addi possent, si pudor & indignitas non absterrerent; qualia sunt, *mane pecti, manus lavare, absque famulo vestiri, fricari*, & sexcenta alia inepta, *quæ nullus nisi sordidus negligit.* Quare hæc sufficiant.

De Quiete

CAPVT X.

CUm quiescere homini naturale sit, sciantque omnes a nimio labore esse cessandum, non est quod quietem vehementer commendem; si tamen monuerim, *aliquando ante lassitudinem esse quiescendum, aliquando a labore & exercitio prorsus abstinendum. Nuper convalescentibus lassitudo plurimum nocet*, adeo ut sæpe recidivas causet; nondum enim vires receperunt, neque spiritus pro labore simul & corpore reficiendo sufficiunt: Atque melius esset, si ab omni exercitio & labore cessarent mox ab incalescente nonnihil corpore; quia tunc solum corpus movendum est,

est, ut vires in artus redeant, & ut nervi musculique, & tendones paulatim flectantur, ne in posterum velut constricti rigeant, laboresque consuetos impediant. *Id quod in studiis quoque velim observes: Turbantur enim spiritus, atque accenduntur ex nimio studio*, unde facile febres, dolores capitis, aliaque symptomata oriuntur. Adde quod *studium cogi non possit nisi cerebro optime disposito.* Quare *duabus aut tribus horis egregie lectitasse sufficere judicamus, repetito post aliquot horas museo. A quocunque* vero *exercitio & labore, statim* post largam comestionem, *post prandium & cœnam, cessandum est, atque omnino quiescendum*; id est, in sphæristerio non ludendum, non saltandum, non pugnandum, non currendum est, donec cibus paulatim (ab una aut sesqui hora) incipiat concoqui: alias magnæ futuræ sunt *obstructiones* ex cibo male distributo, atque citius quam recte coqui potuit a vasis attracto. *Quies* item *summe necessaria est viris multis gravibusque curis oppressis*, ut aliquantulum animum laxent, turbatumque nonnihil recreent, cum *nihil sit quod calori naturali spiritibusque vitalibus magis obsit*: Non tamen

men ad otium & inertiam usque, ut umi braculis hortorum abditi, velut ignava a nimalia, quibus si cibum suggeras, jacen torpentque, præterita, instantia, futur pari oblivione dimittant; Sed *alacriore curis illis susceptis rursum se credant.*

Quanta vero *mala parit otium, vitaqu desidiosa*! quam *stupidos*, quam *hebetes* quam *insanos reddit sui studiosos! corpus u niversum languet, diffluit, molliscit, & vix dimidium vivit, mente & natura deficiente* Nihil *de hoc vitio asinino* dico, cum unum quemque *pudeat turpis ignaviæ*, quæ ne nominari quidem fas sit. Quare in cæteris modus est statuendus, *inertia vero, tanquam vitæ exitium, fugienda.*

De Somno

CAPUT XI.

NOn solum, ut corpus humanum reficeretur quotidie, *somnus* a natura datus est, sed etiam ut animus ille, qui fluxilem alias hanc compagem ita conglutinat, ut sibi ipsi semper adesse necesse sit, pereunte quam primum omni vitali motu,

cu, ſi ab opere vel pauxillum ceſſet, atque intra ſeſe recedat, nonnihil a diuturna irrequiete liber ſibi tandem vacet. Et quamvis corpus omnino deſerere videatur, tum tamen potiſſimum illi proſpicit, vivificat, nutrit, refocillat, ſpiritus labore vigiliisque diſperſos reficit, membrorum & ſenſuum robur & vires reſtituit, calorem diſperſum auget unitque, & quidquid ad corporis ſalutem opus eſt, curat & perficit. Unde velim intelligas, *ſomnum meliorem vitæ eſſe partem ejusque ſuſtentaculum.* Nam cum hominem, dum dormit, mori, vel jam mortuum exiſtimas, primum vivere incipit, cum antea inter tot labores, quibus ſpiritus, adeoque vita ipſa, conſumuntur, moriebatur, dum nihil niſi ſomnus caducum ſuſtentare poſſet. Ecce corpus humanum immobile jacet, & tamen operatur, ambulat, venit, currit, ſudat, friget, edit, bibit, gaudet, dolet, flet, ridet, tacet, loquitur, ferit, feritur, occidit, cadit, perit, vivit, arat, ſerit, metit, natat, navigat, mergitur, omniumque paſſionum capax eſt, ſolum quia dormit, vix uni, dum vigilat, ſufficiens. Plura homo præſtat cum ſtertit, quam cum inſomnis rei ſerio inten-

intentus est. Unde vero? nempe quia mens onus reposuit, quo interdiu gravabatur, ideoque liberius sensus internos & phantasias, a nullo externo mobili coactas, vagari sinit, gaudetque variis multiplicibusque objectis affici, nullis tamen indiga, sibi ipsi objectum & idea. Quapropter *somnum male mortis imaginem dixeris, cum unicum sit vitæ bonum, cujus est conservator.*

Verum non quemcunque *somnum* ita præstantem arbitrere, sed illum solum quem *naturalem* vocamus, non vero illum ascititium aut morbosum, qui potius fugandus est quam excitandus. Neque tamen ipse *naturalis* sanus est *si modum excedat: Torporem* enim, *defluxionesque & catarrhos* progignit, totumque corpus ex eo molleſcit, refrigescentibus nimis quantum spiritibus animalibus. *Octo* itaque, *vel novem horas dormivisse sufficerit*, quod satis sit temporis ad perficiendum concoctionem distributionemque ciborum, quæ inter dormiendum absolvuntur. *Dormiendi* vero *tempus potissimum nocturnum assignatur, propter silentium & tenebras*, ob quietem ad somnum accommodatissima;

quam-

quamvis & ipso die, si negotia noctem insomnem effecerint, dormire concessum sit: Antemeridiano scilicet tempore, vel pomeridiano, circa horam tertiam aut quartam, loco abditiori luceque carenti, quo placidius & quietius dormiamus, nullo strepitu pavorem somniaque atrociora incutiente. Et quoniam calor ab extremis ad interna fugit, gausape fratillato seu Corcyrensi corpus tegendum erit, aut quocunque alio tegmine superinjecto, quo frigus ab externis arceatur. Adeo ut in somno nihil sit damnosum, præter illius protractionem, seu excessum.

De Vigilia

CAPVT XII.

QUemadmodum somnus est mentis in sese recessus, sive cessatio corporis ab omni motu, ita *vigilia* ejusdem in corpus totosque artus regressus, & principium motus & operationum. Atque per vigiliam, modo velut mortui, reviviscimus, nunc re vera agentes, quæ mox solum somniabamus. Sed quoniam spiritus in vigiliis

giliis copiosissime absumuntur, necessario etiam calor naturalis imminuitur, ex quo spiritus progignuntur: Quare *non nisi raro vigiliæ*, quas ordinarias vocant, id est diurnas, *protrahendæ* sunt; siquidem *dat somnos nimis corpori, vitæ plurimum obsunt* dum vires concidunt, spiritus exhauriuntur, caput siccatur, bilis aucta inflammatur; unde febres acutæ, maniæ, deliria, aliaque immensa symptomata oriuntur. Atque inprimis vitandæ sunt *vigiliæ immoderatæ* iracundis, crassis, obesis, operariis, iis præsertim, qui graviores labores subeunt, quod ingentem vim spirituum consumant, quæ facile somno & quieti redditur atque augetur. Detrimento sunt etiam *vigiliæ nimiæ* iis, qui debili sunt stomacho, eo quod magis magisque cruditates ejus augeant, quæ per se, etiam in validioribus, ex vigiliis proveniunt. Causæ vero vigiliarum sunt cerebri intemperies naturalis, vel ex calore aut frigore diurno, ex compotatione, ex nimia ventris repletione, ex recrementis retentis, ex vaporum identidem ex ventriculo in caput sese sublevantium, acrimonia, contracta: metus item, tristitia, rixæ, atq;

alii

alii animi affectus, curæ graves, lassitudo, mirum quantum vigilare cogunt. Quæ omnia facile vitari possunt, ea præsertim quæ intemperiem cerebri efficiunt, affectus animi non item, cum die noctuque inter negotia versandum sit, ex quibus mens humana, prout res ceciderit, varie afficitur. Atque hæ causæ graviores sunt, nullo medicamento tollendæ; ceteræ autem abstinentia & victus ratione corriguntur, adjecto aliquando somnifero, quod vim habeat soporandi spiritus. Porro in somniferis exhibendis modum rationemque servemus, & nunquam, nisi summa necessitate, utamur, quod memoriam & ingenium vehementer lædant, præterquam quod calori naturali noceant.

De Excretis

CAPVT XIII.

EA est corporis nostri tam caduca conditio, ut, etiam dum alitur reficiturque, variis & difficillimis morbis, ipsique interitui subjiciatur. Cum enim alimenta, quantumvis optima, semper quid super-

vacui, ob partium, ex quibus componuntur, diversitatem, in se contineant, necessario æque illa quæ bona quam quæ mala sunt, assumuntur, quod prius ab invicem non separari, nec defœcari possint, a concoctrice primum dissolvenda, atque ab expultrice expellenda. Nec semel aut bis, sed ter aut quater, & sæpius sunt purganda. Imo unaquæque corporis pars suum depurgat alimentum: ventriculus crassiora recrementa seponit, hepar suum in cistim, venæ & renes in vesicam quod est fluxilius, caput suum per nares vel os emittit, totum corpus quod inter cutem spargitur per sudores expellit: adeo ut non sit major moles, quam diligentia in defæcandis alimentis. Nec mira hæc tam operosa assiduitas cuiquam videatur, siquidem ex hac tota vitæ sanitatisque ratio contineatur, dependeatque, sic solum vivente aut pereunte corpore. Hinc ingens illa vis febrium simplicium, compositarum, pestilentialium, ulcerum, apostematum, abscessuum, convulsionum, aliorumque morborum & symptomatum infinita multitudo exoritur. Jam ventriculus non concoquit, tum intestina debilia sunt, he-

par

par item ſcirrhoſum; mox pleuritis, poſt peripneumonia, apoplexiæ etiam, epilepſiæque, aliaque mala tum ſingulatim, tum aggregatim pullulantia oriuntur: unde vero hæc dira omnia? ab inquinamentis in corpore contentis, ab infarcinatione partium præcipuarum, ab illuvie, aut lentore aut craſſitie, aut viſciditate aut quantitate non propulſabili. Quamobrem etiam atque etiam curandum eſt, ne corpus hujuſmodi inquinamentis & ſordibus repleatur: Quod facile fieri poterit, ſi ab aſſumendis cibis abſtineamus, qui ex natura ſua plurima, eaque varia recrementa progenerant. Quales ſunt, lacticinia, carnes ſalſæ, legumina, potulenta pene putrida, impura, limoſa, &c. Talia ſiquidem jam excrementa ſunt antequam aſſumantur. Alimenta ergo boni ſucci exquirenda, quæ facile in ſubſtantiam noſtram convertantur, nullo, aut pauco, eoque leviſſimo commixta ſupervacuo. Mirum eſt, inter Germaniæ regiones quasdam reperiri, quarum incolæ ita ſordide vivant, ut nihil curent, quibus alimentis veſcantur, modo ventriculus inteſtinaque, famem ſedandi gratia, ſubferciantur cibo aliquo

rudiori, curioſiſſimi alias amiciendi ſplendide cute corporis obductas ſordes, purgandi aſarota, plateasque, ut pedes nitidius ambulent, parum ſolliciti, an corpus intus putreſcat, nulla intra illud caligantes feneſtra. Verum mos iſte abſurdior eſt quam ſit pullorum, qui prius de paſtu cogitant, quam plumas deglubant. Sic hominibus potius providendum ut prius intus mundentur, dein exterius munditiem addant; intus, ut vivamus, extra, ut nitidi appareamus. Vides itaque pluris intereſſe, ut corpus a ſuperfluitatibus purgemus, quam ut artus pretioſe tegantur: Quamvis utrumque ſit præſtandum; quod iſtud honeſtatem, illud vero ſanitatem nobis conciliet. Inquinamenta autem, quibus expurgandum eſt corpus quotidie, ſunt alvi fæces, urina, ſudor, naſi mucus, ſordes cuti adhæreſcentes, & ſi quæ alia ſunt excrementa. Fæces mane aut veſperi, aut quando expultrix ſtimulat; reddendæ, neque diutius retinendæ, cum inſuperabiles morbos creent, ſi nimium comprimantur, eo quod valde indureſcant, nulla poſthac ratione ob humiditatem, qua alvus lubrica reddebatur, exſiccatam

catam, excernendæ. Si expultrix debilior ſit, vel ſi alvus, ut vulgus loquitur, conſtipetur, medicamento purgante, petita primum a medico purgandi ratione, onus levandum erit cliſmate, aut peſſulo, aut pillulis, aliisque potionibus naturam ad expellendum juvantibus. Urina, quo plus bibitur, eo ſæpius excernitur; & ideo non ſupprimenda eſt: quandoque enim veſica ex ea ita tenditur, ut laxari ſphincter vix poſſit, quo redundans illud humidum effluat, Unde intelligis quam periculoſe inter potandum, aut inter ſodalitium urina retineatur, idque ſolum officii gratia: Siquidem ex ſola urinæ compreſſione hydropem accidiſſe notum eſt. Sudor, quoties erumpat, ſeu noctu, ſeu interdiu, abſtergendus, ne rurſus intro abſorbeatur, ex quo poſtmodum aqua intercus, ſcabies, prurigo, aliaque mala naſcuntur. Ideoque mutandum erit induſium, linteamina, veſtes, & corpus exſiccandum, donec non amplius exſudet. Cerebrum etiam ſuo excremento levandum naſum emungendo: Præcordia item, mane tuſſiendo & expectorando, non deglutiendo, ſed expuendo, quo totum corpus

reddatur permeabile. Neque, dum mane surgimus, omittenda, faciei, oris, dentium, manuumque ablutio, ut saltem apud viros honestos non sordescamus, facies pulvere oblita, ore putido, & manibus præ illuvie nigrescentibus. Si qui sint, qui cauteria alant, bis ad minimum in die, mane & vesperi expurgent, recentibus semper superimpositis hederæ foliis, aut charta bibula, prout quisque consueverit, cum piso, aut globulo ex iride, vel ebore, aut alio quopiam concretionem impediente. Hæc vero omnia, si rite fiant, procul dubio corpus humanum ab infirmitate vindicabunt.

De Venere

CAPVT XIV.

NAturæ miracula, hominisque originem scrutatum imus, jocunde lector, idque sub vili fluxilique involucro, nempe sub humani seminis excremento. Non video profecto quid ab illa sacra parente mirabilius, quidve solertius fieri possit, quam hominem ex supervacuo ab ea producii

duci, materiamque redundantem in vitam excitari. Una aut altera gutta ſanguinis hanc mirificam corporis humani compagem efficit, tot particulas, quarum unaquæque homini debet eſſe miraculo, coagmentat, componit, diſtinguit: ex ſanguine fit cor, hepar, cerebrum, pulmones, lien, renes, ventriculus, veſica, caput, manus, femora, venarum arteriarumque infinita textura, nervorum innumera paria, & oſſium immenſa robora. Tum illa perfectiſſima conglutinatio tantæ molis corporeæ exſurgit; Et tamen quid modo aliud hæc univerſa erant, niſi quoddam emungendum ejiciendumque ſupervacuum? Quam vero diverſa horum materia! quam uſus diverſus! Cuncta tamen ab uno ſanguine, ab illo excreto fiunt. Unde ergo tanta diverſitas? nempe a vi efficiente naturæ. Nullo enim modo conceſſerim, partem a parte in generatione avelli, quamvis id viri graves exiſtiment probentque. Dicunt namque illi, totum corpus in actu illo generante, ad minimas uſque particulas commoveri: Quod nequaquam fieret, niſi ab his aliquid avelleretur ad ſuum ſimile conſtituendum.

endum. Fluere itaque particulas quasdam ex cerebro ex ſeſe rurſus aliud cerebrum producturas; ex oſſibus item & ſpinæ medulla aliquid oſſeum effundi, quod pari modo oſſium producendorum rudimentum ſit: Atque ita ex ſingulis particulis particulam quandam ad ſuum ſimile offerri, ſic conſtituta naturæ lege, ut ex ſimili ſimile producatur. Unde venerem morbum comitialem Hippocrati dici volunt, quod hujuſmodi ſtillicidio fiat, quemadmodum morbos comitiales ex materiæ craſſæ viſcidæque diſtillatione, quam totum corpus permanare credunt, fieri exiſtimant. Verum longe aliter apud me ſe res habet, ſiquidem inſignis illa totius corporis commotio non a fluxione hinc inde exorta ſentitur, cum, ſi quid fluit, jam ante fluxerit, quam hic tantus motus perciperetur: excernitur enim tunc ſemen per meatus ita conſtrictos, ut potius exſudet quam erumpat; inde tanto tamque eximio ſenſu voluptuoſo excitato, quod ex copioſo calore ſpirituque in partes nervoſas impetus fiat, concuſſo, ob nervorum propagationes, corpore & animo. Quare concuſſio alteratioque corporis

ita

ita vehemens neutiquam a vellicatione illa, quæ in generando percipitur, tanquam partes de avulsa particula dolerent, oritur, sed ab illo insigni sensu, quo partes illæ præditæ sunt. Præterea, etiamsi particulæ hinc inde a toto corpore, aut saltem a nobilioribus fluerent, *quid aliud* essent *quam sanguis*, *qui*, ut naturæ placuit, *varios subit colores*, variasque recipit qualitates? nulla inter cerebri, ossis, musculi, aut alterius parenchimatis materiam, & sanguinem in venis arteriisque contentum differentia intercedit, quam quod plus aut minus concrescat & albescat, in venis vero fluxilis rubensque consistat, dilabens identidem in ipsum caput, thoracem, aliaque loca, ut partes in eis contentas continuo sustentet. Si ergo *cerebri* aliarumque partium *substantia ex sanguine* constet, nulla datur ratio cur non *a sanguine*, qui in se uno complectitur quidquid est in corpore vitæ, *materia generationi apta* petatur potius, quam ab iis, quæ ab ipso sanguine nutriuntur. Adde quod ex cerebro, aut alia quacunque parte nobiliori, nullus avehendæ materiæ ductus propagetur ad usque seminis receptacu-

ptaculum: *Solus* ergo *ſanguis homini gene-rando ſufficit.* Jam vero, ſi hominis digni-tatem ſeponas, quam vilis ejus origo quam humilis! quam abjecta! ipſe *locus* ubi gignitur, non niſi obſcene nomina-tur, *ſubitque illius videndi tangendique pu-dor*, adeo humana primordia nulla ſunt. Hinc tamen unumquemque oriri neceſſe eſt, tam regum quam pauperum pueros, uno eodemque naſcendi genere. Hinc veſana illa poſteritas emanat, huic infau-ſtior, alii proſperrima, huic infamis, illi glorioſa. Hinc generis noſtri æternitas, cum in progenie ipſimet vivamus. Hinc mortalium ſummum bonum, nempe vita. Quanta, heu, quanta hujus ejiciendi mo-les! Mens ipſa, & quidquid corpus huma-num in ſe habet, in ſemine effundendo occupatur, gaudetque abſentis imagine, poſtquam objectorum quondam conſpe-ctorum ſibi reduxit ideas, etiam ad ſexus exceſſum, fingentique illicita. Tum vero intra æſtuantes ſinus naſcitur neſcio quid immenſum, quod *Amorem* appellamus, adeo imas agens radices, ut nullatenus a-verruncari poſſit, ad numina uſque ſua penetrante vi. *Inde mulierum licentia, am-bitio,*

bitio, ſævitia, negotiorum tam civilium quam privatorum dimidiatio, unam tantum ob cauſam, *quia amantur*, ut taceam reliqua, quæ *in detrimentum patriæ, parentum, amicorum, feminarum cauſa* fiunt. Inde *in viros* tanta *poteſtas*, *in ſe* vero tanta *ſervitus*: namque *viro imperat*, *leges imponit*, *præſcribit*, *jubet*, *vetat*, quod videtur. Cui *nihil imperanti poteſt negari.* Poſcit? dandum eſt: vocat? veniendum: ejicit? abeundum: minatur? extimeſcendum, adeo *Amoris ſervi* ſumus & *mancipia.*

Quid juvenis, magnum cui verſat in oſſibus ignem
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat cæca ſerus freta, quem ſuper ingens
Porta tonat cœli, & ſcopulis illiſa reclamant
Æquora, nec miſerum poſſunt revocare parentes,
Nec moritura ſuper crudeli funere virgo.

Quid virgo? quid nupta? quid omnes mulieres, ſi quando amore tentantur? Pari Cupidinis telo vulnerantur, atque ita ut Satyricus pleno ore exclamet:

Tarpejum limen adora

Pro-

Pronus, & auratam Junoni cæde juvencam
Si tibi contigerit capitis matrona pudici:
Paucæ adeo Cereris vittas contingere di-
gnæ.

Benignius tamen istud explicandum est. Quamvis enim tanta sit Veneris vis, *castæ* nihilominus quamplurimæ *reperiuntur*. Sed quosdam esse aut juvenes, aut virgines, qui vim cupidinis non experiantur, citius credam, asinum cum bove volasse. Unde Tragicus ita de Amore acutum canit:

Tela quam certo moderatur ictu!
Labitur totas furor in medullas,
Igne furtivo populante venas.
Nulla pax isti puero. Per orbem
Spargit effusas agilis sagittas.
Juvenum feroces
Concitat flammas: senibusque fessis
Rursus extinctos revocat calores:
Virginum ignoto ferit ille pectus:
Et jubet cœlo superos relicto
Vultibus falsis habitare terras.

Sed quoniam in sermonem de amore incidimus, *dic quæso*, jocunde lector, *non enim illud a me ipso impetrare possum, quid est amor?* Dicis: amor est passio, seu affectus animi, pullulans ex naturali appetitu

gene-

generandi. Profers quidem aliquid, ſed *non omnino ſatisfacis.* Si enim amor ex appetitu generandi pullularet, ceſſante appetitu & ipſe ceſſaret, cum appetitus acquiſito appetibili, nempe generatione, tanquam in fine conquieſcat: Amor vero magis magisque increſcit, nullo fine beatus. Quare aliquid aliud addendum erit, quod amorem planius explicet. Adde quod *appetitus generandi ex ſe ſit indifferens in quod ſubjectum agat, ſeu quod individuum nanciſcatur, modo generationi aptum ſit,* eo quod ſubjecta ſpecie quidem definiantur, non autem numero. Unde *amor ab hac indifferentia nullatenus pendere poteſt*, cum longius divagetur, hoc, ex innumeris, & non aliud individuum ſibi ſeponat, in quo abſolutiſſime regnet. *Neque* vero *in genere excitamento opus eſt*, quod in venuſtate oris, in ſermone blando blæſoque, in inceſſu, in ſtatura corporis, in membris bene proportionatis, in colore rubeſcenti, mox ciliis nonnihil cuteque obfuſca adumbrantibus candorem, nimis quantum pudore aut rubentem aut pallentem, conſtituitur: Puellæ enim *deformes æque ac venuſtæ*, omnibusque pulchritudinis, ut

ut ajunt, conditionibus præditæ *amantur*, cum *amor cœcus* sit, atque rana, modo ametur, Diana videatur, ut fert communis proverbium. Quasi vero & vetulæ, & monoculæ, claudæ, aut alio modo deformes non permolantur. Ergo neque in his amor radicabitur incitamentis. *Quia igitur erit? ignoro profecto*, nisi sit desiderium acquirendi objectum quod est simile desideranti. Cujus spiritus ita sympathicii sint, ut, nisi eo potiatur, turbati inter sese dissipentur. Verum sit amor illud quod cuique libuerit, ad cetera pergamus.

Quamvis ad *usum Veneris* attinet, *sit plane moderatus & rarus*. Quamvis enim *excrementum* sit, *pretiosius* tamen est, quam ut ita abunde excernatur, *in quo nostræ vires corporisque vigor constituitur*. Nunquam itaque Venus conceditur nisi tumente materia, ne semen retentum putrescat, & ea symptomata, tam in maribus quam feminis oriantur, quæ accidere sæpenumero notissima sunt. Mulierum quidem accidentia apud Hipp. lib. de morb. mulier. legi possunt. Necessarium ergo est, ut *puellæ*, tum ob verecundiam, tum ob sanitatem *vesicæ imperent*, memores quam in-

indigne vivant, quali lue fæpenumero inficiantur, quam miſeræ futuræ ſint, quam cito ſui nauſea ſubrepat, vix juvenes, cum jam ſeneſcere incipiant; atque cum jam vetulæ ſunt, quot malis obruantur.

Deformem & tetrum ante omnia vultum,
Diſſimilemque ſui, deformem pro cute pellem
Pendentesque genas, & tales aſpice rugas,
Quales, umbriferos ubi pandit Tabraca ſaltus,
In vetula ſcalpit jam mater ſimia bucca.

Nec minus *adoleſcentes admonendi ſunt, ut a ſcortis abſtineant*, cum par iis ferenda ſit miſeria. Non eſt quod mala, quæ patiuntur, recenſeam, cum ſint plus quam notiſſima. Namque, ut alia taceam, quoties pro vili proſtibulo *periclitantur*? jam vitæ imminet rivalis, tum procorum turba irruit: Hinc *animi angor*, hinc *fuga difficilis*. Illinc tenebræ, hinc viarum anguſtiæ fugientem impediunt, atque ultima ſalus creditur, per feneſtras dare ſe præcipitem, ut ſic ſaltem, quamvis crurifragio gravis, domum repat, neque illic, ob parentum iras, ab infortunio ſecurus. *Mirum* quidem eſt, *adoleſcentes ab hoc vitio, etiam cum mille periculis, non corripi*, cum tamen

tamen ſe *manifeſto exitio deditos* conſpicii ant. *Meritrices* amant, quod venuſtulæ ſint, depereunt, quod gratioſe rideant *caute fallant*; quod pane multo tumeat fa cies, aut pinguia poppæana ſpiret, & hinc oſculantis labra inviſcentur. His quidem,

dum foris ſunt, nihil videtur mundius,
Nec magis compoſitum quidquam, nec magis elegans:
Quæ, cum amatore ſuo cum cœnant, liguriunt.
Horum videre ingluviem, ſordes, inopiam
Quam inhoneſtæ ſolæ ſint domi, atque avidæ cibi,
Quo pacto ex jure heſterno panem atrum vorent,
Noſſe omnia hæc, ſalus eſt adoleſcentulis.

Hoc denique *præcipuum* de Venere *præceptum* eſto, *aut nunquam*, quod quidam impoſſibile exiſtimant, *aut rarius*, quod itidem perdifficile credunt, *libidini indulgendum*, cum in *adoleſcentibus flos totius corporis pereat*, *in ſenibus* vero *vires omnino concidant*. *Poſſibilem* autem hujuſce rei *abſtinentiam* quot experimenta comprobant? unus ſaltem *exemplo* ſit *Sophocles*. Hic enim,

cum

cum ex eo quidam jam confecta ætate quæreret, utereturne rebus venereis: *Dii meliora*, inquit: *Libenter vero istinc sicut a domino agresti, ac furioso profugi.* Quare solum cum semen abundat, idque ubi, & cum subjecto licito, Veneri satisfaciendum.

De Retentis

CAPVT XV.

REtenta dupliciter considerantur: Primo, si quæ evacuanda sunt cohibeantur, secundo, si ea quæ evacuanda non sunt evacuentur. Pauca itaque de utroque dicenda sunt. Quantum ad primum, *prohibemur vesicam comprimere*, honoris aut respectus gratia ut ajunt; siquidem male quandoque res nobis succedit, adeo ut respectus iste sæpenumero in despectum vertatur, laxante natura urinæ fontes, quod continere onus amplius non possit, ex quibus tibialia braccæve egregie stillant: Aut, si fortior retentrix est, ex vultu & titubatione angorem prodimus cum astantium tremulo cachinno. *Ex timore* enim, ne quid inhonesti nobis contingat,

varii corporis motus fiunt, rubente jam, mox pallente facie, aliasque mirabiles *posturas* efficimus, quibus sodalitio plenis acerris risum propinamus. Quare huic malo summopere prospiciendum est, non propter respectum, qui plane inanis est, sed propter *summa* quæ *inde* oriuntur *pericula*. Vesica quippe cum suo sphincter ita ob plenitudinem distenditur, ut vix postmodum laxari possit. Unde immensi cruciatus nascuntur, præterquam quod facile aqua intercus & hydrops inde causam primam trahant. *Cum* enim *vesica plena sit, & evacuari non possit, necesse est, ut serum per corpus diffluat*, cum a renibus projectari amplius non possit, pleno jam urinæ receptaculo. Si itaque contingat, ut inter viros graves, aut inter gynæcia, aut in sympotiis versemur, ante vesica exoneranda erit, atque *a diureticis, potuque nimio abstinendum*. Sic sane facilime duo hæc incommoda, respectum nimirum & aquæ emittendæ necessitatem *evitabimus*. Atque hoc ipsum de onere ventris ejusque vento præceptum esto.

Ad secundum quod attinet, vetatur *pessima* illa *consuetudo crebrius vomendi*, quod

stoma-

ſtomacho pectorique plurimum noceat. Quanquam ſciam, a multis tanquam rem eximiam commendari, quod dicant, ex motu vehementiori, quem vomitus efficit, viſcoſas lentasque pituitas ventriculi villis impactas, illisque tenaciter adhæreſcentes, ſolvi, ceteraque quæ in fundo continentur ſupervacanea expelli, vix alias his materiis hellebori pondo ad purgandum ſufficiente. Fateor cum Avicenna, atque germano illo Fuchſio, *vomitum* quandoque *conferre*, id eſt, *ad crapulam exonerandam*, ad vim cibi potusque intemperanter aſſumpti reddendam, ad ſtomachum ab onere levandum, & id genus alia præſtanda; ſed non item fateor, vomitum toties eſſe iterandum, ita ut in uſum quotidianum vertatur: Ut apud plurimos jam conſuetudo invaluit, ut vix expergiſcantur, cum jam vomere incipiant, hac ſola ratione ducti, quod exiſtiment, concoctionem diſtributionemque ciborum jam perfectam eſſe, adeoque nihil niſi ſupervacanea, phlegmata, melancholias, pituitas acres, mucos aceſcentes in ventriculo ſupereſſe, ex quibus moleſtiſſimæ frequentiſſimæque nauſeæ oriantur, velli-

cante acrius ſtomachi fibras impacta materia, unde jejunis ſæpenumero vomendi ſubeat voluntas multaque pituita excreetur, quam *aquam cordialem* vulgo appellant. Hoc quidem emolumentum præſtat vomitus, verum maximum etiam affert incommodum, dum ab eo ventriculus vehementer convellitur, laxatur, affligitur. Impoſſibile enim eſt, ut intra ſe poſſit rapere cibos, toties excuſſus, toties evolutus, toties evacuatus, &, quod peſſimum eſt, calore naturali imminutus, ac eo pene deſtitutus. Hinc etiam ructus frequentes, vapores nidoroſi, ſingultus, oſcitatio, aliaque moleſtiſſima excitantur, quod utrumque orificium hiet, nimium laxatis conſtringentibus eorum fibris. Quare *conſuetudo vomendi, ſi non omnino tollenda, ſaltem moderanda eſt.* Pari ratione *prohibetur uſus crebrior medicamentorum purgantium*, cujuscunque tandem conditionis aut compoſitionis ſint, ſeu potiones, ſeu pillulæ, ſeu pulveres, ſeu cliſmata, ſeu alia ejusmodi fuerint; quod naturam propriam mutent, atque in alimentum convertantur: Adeo ut ſi poſtmodum in gravi morbo, aut caſu urgente, medi-

medicamento purgante utendum ſit, nullum proficiat, propterea quod alvus illi aſſueta nulla ratione moveri poſſit. Adde quod vis expellens imminuatur, & ſæpius levitas inteſtinorum, procidentia ani, reſolutio ſphincteris ex tam frequenti irritatione progignatur. *Parce itaque purgantibus utendum.* Quamvis enim exiſtimemus, alvum nunquam ſatis a nobis purgari poſſe, *nimiæ* tamen *evacuationes*, præſertim eæ, quæ a natura non fiunt, *plurimum obſunt*, ut ex Hippocrate, atque ab experientia ipſa abunde cognoſcitur. Unde eos, qui gulæ undique ſatisfaciunt, moneo, ne amplius in purgationibus confidant, mox cliſma, aut pillulis paraturi, ſi quando nimium genio indulſerint, ut quamprimum gravantia ventriculum expurgent. Non enim ita facile ventriculus eluitur mundaturque, ut arbitrantur iſti comedones, qui nullum ſelectum in cibis adhibent, nullamque menſuram; Siquidem prius farrago illa ciborum coquenda eſt, antequam ſupervacuum ab alimento expurgari poſſit, licet centum cliſmata, & totidem potiones aſſumerent. Quare in poſterum cautius purgantibus utantur.

Sunt qui *leviſſima de cauſa venæ ſectionem* inſtituant, atque aliquando *ſolum ut palleant*, ſi forte facies nonnihil rubeat: Quod *mulieribus Gallicis eſt perquam uſitatum.* Sed quam bene agant ipſi viderint: Quaſi vero ſanguis non pretioſior ſit, quam ut ex prima mentis vertigine quamprimum idque affatim profundatur. Meminerint illi, qui ita liberaliter ſanguinem mittunt, ſibi ipſis brevitatem vitæ accerſere, dum id in quo vita conſiſtit, ita prodige inconſiderateque profundunt. Credo equidem, quandoque non ſanguinem, ſed cremorem, ſeu aquam effluere, cum non tamdiu exſpectent, donec novus ſanguis ſuccreſcat. *Vetarem* profecto *venæ ſectionem* (*niſi foret ſumma neceſſitas*, ut in plethora & ſimilibus) ſi quid juris inter mortales mihi daretur, gravi comminatione addita; ut *ſaltem ex pœna*, ſi non ex naturæ inſtinctu *vitæ parcerent.* Verum identidem ineptimus, nunc tandem ſilendum eſt.

De Animi affectibus

CAPUT XVI.

MUlti ſunt procul dubio, qui prodigium *artis medicæ*, & vim magnitudinem-

dinemque ingenii medicorum mirantur ac ſuſpiciunt, qui etiam *de curandis* immateriatis, deque iis, quæ prorſus ſpiritualia ſunt, nempe *de animi affectibus*, præcepta tradunt; Quaſi ſibi omnes rerum ſubſtantiæ, naturæque ſubderentur, dum vulgo naturæ vicarii creduntur, ut, cum ipſa aliquando defecerit, ne quidem defeciſſe videatur, ſuſtentata ſemper *ſolerti medicorum induſtria*. Verum non eſt quod mirentur, ſi meminerint, quantum ceteris præſtare oporteat eum, qui circa ſubjectum *tam nobile*, *tam excellens*, *tamque divinum*, ut eſt *corpus humanum*, verſemur. Siquidem plane ſcimus, *medicum tractare divini illius operis*, *naturæque univerſi compendium*, quod in ſe quidquid eſt in hoc rerum univerſo mirabile magnumque complectitur. Quid enim corpore humano nobilius? quid excellentius? quid divinius? atqui hoc ipſum medici ſolertiæ concreditum eſt: An non ergo *immenſa vis ſcientiarum & artis* ei ineſſe oportet, ut *illud ab exitio conſervet*? Sane ſi in architectis, ut eſt apud Vitruvium, tanta, tamque multiplex requiratur ſcientia, ut ſecundum mechanicen non peccent, quantum doctrinæ in medi-

cis requiretur, qui præstantissimam materiam, nempe corpus humanum, tractant? sic ut nullus medicus dicendus sit, qui non *natura*, ut Hippocrates loquitur, *doctrina, institutione a puero, studio & industria, atque tempore, ambulando item per urbes, non sermone tantum, sed & opere, nitatur.* Quare, ut dicenda aggrediamur, non solum merito sed & *necessario etiam ad medicum spectat, agere de animi affectibus*; quod hi *a temperamento*, atque *ab illius humoribus dependeant.* Mens enim, seu *animus, quamdiu in corpore degit, eo ad agendum*, tanquam organo, *utitur*, atque hunc vel illum, *prout temperamentum aut organum se habuerit, affectum elicit*, alieno, nisi intra se abeat, indiga subsidio. Unde quatuor primis humoribus, seu illi *quadruplici temperamento*, quatuor *primos animi affectus* addixere; calori quidem seu bili *iram*, frigori seu pituitæ *mansuetudinem*, siccitati seu melancholiæ *tristitiam*, æquabili denique temperamento seu sanguini puriori *gaudium*, totumque universi corporis meliorem habitum. His dein adduntur alii velut succenturiati, ut sunt *magnanimitas, audacia, timor*, aliique audendi impetus,

quos

quos nonnulli experiuntur. Nunc vero si ad *curationem* veniendum sit, notissimum est, *hosce animi motus cibo & potu sedari.* Animadversum quippe, *iram, quæ in jejunis, sitibundisque acrior est, a cibo statim tolli; quod vis humoris effervescentis ex eo nonnihil mitigetur.* Sed quibus *calido sub pectore bilis intumuit, quam non exstinxerit urna cicutæ*, dulciori *rectæ rationis* liquore aspergatur abluaturque, ut sic saltem illis accidentibus, quæ ex ira nasci scimus, mature subveniamus. Quæ vero accidentia, quique *morbi ex iracundia* fiant, hic recensere non operæ pretium est, cum omnibus noti sint. Illud solum affirmo, *frustra nos animi affectibus mederi, nisi a corpore simul & animo curationem instituamus:* a corpore quidem *attemperando humores*, mutandoque temperamentum: Ab animo vero addendo *usum rectæ rationis*, in quo sola hominis a brutis animalibus distinctio consistit. Atque *de aliis affectibus ratio curandi eadem esto.* Sed unde iis *affectibus* medebimur, *quorum materiam ignoramus?* Hi tamen *curandi* sunt, cum ceteris qui ab humoribus dependent pejores sint. Nam

Niſi purgatum *eſt* pectus, *quæ prælia n*
bis
Atque pericula, eſt ingratis inſinuandum!
Quantæ conſcindunt hominem cuppedin
acres
Sollicitum curæ, quantique perinde timore
Quidve ſuperbia, ſpurcities, petulantii
quantas
Efficiunt clades! quid luxus, *deſidies qu*
Hæc *igitur* qui cuncta ſubegerit, ex a
nimoque
Expulerit dictis, *non* armis: *nonne deceb*
Hunc hominem numero divum *dignarie*
eſſe?

Ita eſt profecto. Etenim aliter vix quic
quam proficimus: Siquidem *in medicorum apothecis hoc divinum Recipe neſcitur: Nu la radix, nullus bulbus, nullum balſamum pr curanda invidia*, præſertim eruditorum qui *elaborata poſteris abſcondere atque ſupp primere cupiunt, & fraudare vitam etian alienis bonis. Ita certe recondunt, quæ no verint, invidentes aliis: Et neminem docere in authoritatem ſcientiæ eſt. Tantum ab ju vanda vita mores abſunt: Summumque opu ingeniorum diu jam hoc fuit, ut intra unum quemque recte facta veterum perirent.* S

ſaltem

saltem *avarorum* divitumque *pectora* eluerentur, quibus ineſt *vis immenſa affectuum*, malum pene peſſimum mortalium tolleretur. Dicant *avari, quibus motibus agantur*, quam miſere habeantur, quam *raro contenti* vivant:

O ſi pateant pectora ditum,
Quantos *intus ſublimis agit*
Fortuna metus! *Brutia, coro*
Pulſante fretum, mitior unda eſt.

Verum jam nullus avarus, aut alienorum cupidus amplius videtur, *nec dubie tanquam frugi laudatur, tanquam parcus homo, & rerum tutela ſuarum certe magis, quam ſi fortunas ſervet easdem Heſperidum ſerpens, aut Ponticus*, quisquis animam vendit lucro, quisquis divitias congerit, quisquis cupiditatibus habendi ſatisfacit: Quocirca *malo inveterato adhibere medicamenta deſipere* eſſet. Qui vero ceteris medelam quærit, *a contrariis* ſane, ut eſt in medicorum placitis, *medendi ratio* petatur oportet, atque ejusmodi cupiditates parentur, quæ, ut illæ hominem miſere, ita hæ beate habeant, quales Martialis meus proponit ſequendas: Nempe,

Res non parta labore, ſed relicta,

Non

Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quiett
Vires ingenuæ, salubre corpus,
Prudens simplicitas, *pares amici,*
Convictus facilis, sine arte mensa,
Nox *non ebria, sed* solum curis,
Non tristis torus, attamen pudicus,
Somnus qui faciat breves tenebras;
Quod sis esse velis, nihilque malis,
Summum nec metuas diem nec opte

De quatuor anni temporibus
CAPVT XVII.

INter præcipua medicinæ præcepta illu potissimum ab Hippocrate ttaditum esi ut anni tempora & tempestates sedulo ob servemus. Etenim in *medicinæ compendio* quod *librum Aphorismorum* vocant, idem tidem monet, ut *anni tempora*, seu in eva cuatione, seu in cibis exhibendis, seu alii quibuscunque medendi rationibus, *consi deremus*, præterquam quod uniuscujusqu temporis mutationes, morbosque tum graſſantes pluribus sententiis complexu sit. Si tamen ipsemet hos aphorismo compoſuerit, cum eos *ex Æsculapii templ*

appen

appensis tabulis descripsisse credatur. Sed quidquid sit de his, seu Aphorismi Hippocratis sint notæ quædam ab eo conscriptæ, seu ab alio ex omnibus ejus scriptis congestæ quædam sententiæ, nihil profecto utilius, nihil doctius potuit confici, cum sic tot ambages solvantur, tot involucra, arcana medicinæ contegentia, tollantur, ineptiæ & fraudes ignarorum damnentur. Ex Aphorismis itaque in præsentiarum rem nostram conficiamus. Ac primo si de evacuatione aliquid dicendum sit, citandus erit aphorismus secundus sectionis primæ, ubi Hippocrates præcipit, ut anni tempus consideremus, si velimus ut evacuatio prosit, & facile feramus. Quocunque enim tempore eodem modo evacuationem (seu per purgans, seu per venæ sectionem ea fiat) instituere, ineptum plane & nocentissimum est, cum pro varia temporis anni ratione, variandus sit usus medicamentorum. Aliter namque æstate, aliter hyeme, aliter vere, aliter autumno corpora purgantibus moventur. Quocirca ii, qui purgationibus assuevere, tempestatem anni commodam observent, ut nimirum verno tempore ea, quæ tota

hyeme

hyeme ſupervacanea collecta ſunt, mem
Aprili aut Majo, citius aut ſerius, prout co
lor frigusque viguerit, caute, atque prius
conſulto medico, evacuentur, emunden
turque. Non enim promiſcue fas eſt quo
cunque purgans ad alvum eluendam ar
ripere, ſed ea, quæ prudens medicus, con
ſiderato temperamento, humorum redun
dantium ſpecie, copia, &c. purgando præ
ſcripturus eſt. Pari ratione autumno a
gendum eſt. Ceteris temporibus, *æſtate*
puta, & *hyeme*, *in humano corpore, quantum*
ad evacuationem, nequidquam tentandum eſſe
Æſtate quidem *ob nimium calorem exter*
num, & imbecillum corpus; *hyeme* vero, *ob*
frigus ambiens, atque ob ſpiſſos occluſosq
poros, tum ob fluxionis humorum redun
dantium difficultatem. Si enim, ſecundum
Hippocratem, corpora purganda prius red
denda ſint fluxilia, tum id maxime æſtate
& hyeme præſtare difficile eſt; *æſtate pro*
pter anni tempus ſiccum fervidumque; hyeme
propter frigus, humoresque tum præcipue
viſcidos, lentos, & glutinoſos. Quare *com*
modiſſima anni tempeſtas purgationi erit ver
na & autumnalis. Illud genus evacuatio
nis quod fit per balineas, quocunque tem-

pore

pore conceditur, quod in eo nihil sit periculi, modo aquæ sint pro ratione lavantis compositæ: quantum enim ad frigus vel calorem, in momento attemperari possunt. Prosunt vero potissimum balineæ scabiosis, & iis quibus artus identidem pruriunt, sudore item copioso madentibus, quod illis acrimonia, quæ poros exedit, mitigetur, his vero virus & fœtor eluatur. Observes tamen, nos utilius hyeme calida, æstate vero frigida lavari, quod hyeme pori concluſi aperiantur, ut fuligines, & quidquid subter cutem inhæret, expellatur, æstate autem aperti claudantur, ne calor naturalis ab externo ambiente eliciatur minuaturque. Unde pessime agunt, meo quidem judicio, qui thermas calidas æstate, solum ut laventur, subintrant: Lassitudo enim, quæ hinc oritur, indicio est, poros aeri externo calorique illi præternaturali patere, unde artus naturali destituti languent torpentque. Quo fit, ut quandoque maxima symptomata, gravesque morbos patiamur.

Non absurdum fuerit, singulis anni temporibus vestium integumentorumque rationem expendisse: His enim mala plurima,

ma, prout tempestates fuerint, felicite
arcemus, propterea quod magis minusv
corpus ab aere defenditur, ex quo nobi
incommoda multiplicia accidunt. Hyem
itaque, quod quidem solent omnes, egre
gie vestibus subferciamur, ut frigori sæ
vienti in artus resistamus: Vere ex his pau
lum minuamus, prout calor augetur ve
minuitur; æstate, ut quisque facilius diffi
ciliusve cœli ardores patiatur, vestiatur
Melius tamen erit nonnihil nuditatem
moderari, præcipue vero nocturno tem
pore, quamvis cubiculum nimium cale
scat, ob aerem infestissimum, ut omnes
sciunt atque experiuntur. Cibi etiam pro
ratione temporis variandi sunt, tum in
qualitate, tum quantitate. Hyeme siccior,
copiosiorque cibus sit, quod corpus no
strum calidius humidiusque uberius siccis
alatur, ob noctes prælongas, ut Hippocra
tes loquitur, quæ tempus concoctionis
producunt. Ideoque eo potissimum tem
pore, carnes duriores, ut sunt pernæ, pe
tasunculi, sumina, laridum, bubula, salsa &
fumo indurata, muria, haleces, liquamen,
atque id genus alia, si concedenda sunt,
conceduntur, propterea quod concoctrix
major

major sit, quam aliis temporibus, ut vulgo notum est. Æstate felicius humidis utiliusque vescimur, tum propter calorem, tum propter siccitatem. Humida enim citius nutriunt, faciliusque concoquuntur, præterquam quod ariditati subveniant. Hujusmodi vero humida sunt lacticinia, offæ, quæ fiunt apud germanos, acetaria, olera, pepones, cucumeres, anguriæ, betæ, aliaque hortensia; quæ sane ut compendiosa sunt, ita sanitati plurimum prosunt, propter facilitatem concoctionis, quod ex his stomachus non gravetur, servato modo & quantitate. Atque ut rem totam attingam, unusquisq; proprio temperamento expenso, modum sibi rationemque secundum temporum mutationes vivendi constituet.

De diebus fortunatis
CAPVT XVIII.

DIcturus aliquid de hac quæstione vulgari, a definitione ipsa diei incipio, ut tota rei series planius intelligatur. Dies itaque est numerus motus solis circa suum circulum, comprehendens spatium illud

quod intercedit inter duplicem ortum solis; seu, est pars motus solis, divisi in trecentas sexaginta quinque partes, ita ut ab uno ortu ad alterum unus dies numeretur, usque dum sol ab uno puncto sui circuli discedens rursus integrum dimensus ad illud accedat. Verum quia difficilius fractionibus, seu numero aliquoties partito metimur, dies hos trecentos sexaginta quinque in numerum breviorem, nempe in septimanas quinquaginta duas redegerunt, ita ut septem dies unam quinquagesimam secundam continerent, facto ex eo hoc numero, quod septem planetæ sint, unde dies etiam ab iis denominentur. Hæc vero nomina non eo ordine, quo sunt in cœlis, sed confusim mixta, diebus sunt imposita; non tamen sine ratione antiquitatis, quod velint, hæc potius deorum immortalium esse nomina, quam siderum, ideoque dies ab unoquoque, prout in septimana prius aut posterius alicui deorum adolebant, appellationem derivasse. Quid quid sit de his, pulchrius ornatiusque est ire recto quam præpostero ordine. Quare melius esset hæc confusa nomina in suum ordinem redigere, ut illum naturæ seque-

remur

remur: Nimirum ut dies primus ſeptimanæ eſſet Saturni, ſecundus Jovis, tertius Solis, quartus Veneris, quintus Martis, ſextus Mercurii, ſeptimus Lunæ. Verum iſta ſeu bene ſeu male conſtituta ſint, parum aut nihil ad rem noſtram conducit: Solum enim in poſterum nobis quærendum eſt, utrum quidam ex his diebus fortunati ſint, ut omnes exiſtimant, & in quo conſiſtat hæc dierum felicitas.

Atque ut de primo quidquam dicamus, apud me nulli ſunt dies boni vel mali, felices aut infelices, ut neque olim apud Heraclitum, qui Heſiodum, quosdam probos, quosdam malos facientem dies, redarguit, tanquam non tenuiſſet naturam omnium dierum eſſe unam, quod alibi dubitavit. Quemadmodum enim dies æqualiter ab illo motu ſolari ſimul ſumpto participant, id eſt, ut nullus alium aut numero aut partibus, ita nullus alium aut bonitate aut malignitate ſuperat. Quæ enim inter ſe ubique ſunt paria, inter ſe ſane bonitate aut malignitate non differunt. Dies vero, quantum ad eſſentiam non diſcrepant, ergo pares ſunt, nullo infortunio aut felicitate diſcreti, cum æque dies hodiernus ſit

pars motus ſolaris atque heſternus, æque futurus ac præteritus. Verum mihi experientia undique objicitur, qua meum delirium convincitur. Experimur enim, reſpondent omnes, dies fortunatiſſimos, ſaniſſimos, imo beatiſſimos; tum rurſus infelices, atros, ſanitati adverſos, imo ipſi vitæ regimini contrarios: Ergo neceſſe eſt dari differentiam dierum tam felicium quam infelicium. Adde quod plerique medicorum dies in propinandis potionibus, in morbis dijudicandis, in methodo curandi diligenter obſervent: Teſtimonium manifeſtum, quosdam dari dies bonos, quosdam improbos. Fateor equidem hæc omnia fieri, atque egomet diem, ut ægroto mihique melius conſulatur, ſedulo obſervo; non tamen ideo, quia hic præcipue præ cæteris ratione ſui obſervandus ſit, ſed ratione tempeſtatis, temperamenti ægrotantis, aliorumque accidentium, quæ uno die plus minusve mutantur. Hæc, inquam, ſingulis diebus, ſeu Mercurii, Martis, Lunæ, Saturni, aut alterius dies ſit, obſervo, non naturam dierum, quæ ubique eadem eſt: Nempe id quod die accidit, non ipſe dies, conſiderandum eſt. Ceterum demus diver-

diverſam eſſe dierum naturam, in quonam hæc diverſitas conſiſtet? Sane non in natura dierum, cum nulla ſit, niſi ea, quam ab hominibus acceperunt, ab eis excogitati & conſtituti. Movebatur enim ſol ante dierum conſtitutionem, & moveretur, etiamſi nulli dies eſſent, cum dies nihil aliud ſint quam partes numerabiles ipſius motus ſolaris. Ergo probitas & malitia diebus non eſt eſſentialis, quippe de eſſentia dierum eſt, ut non mutentur, inter ſe perpetuo æquales. Minus in accidentibus conſtituetur, cum accidentia, quæ quotidie tam multiplicia eveniunt, non ratione diei, in quo contingunt, ſed ratione totius univerſi, omnia, ut naturæ libet, immutantis. At ſcio in quonam bonitas & malitia poſita ſint, in influxionibus ſcilicet planetarum, a quibus dies denominari volunt; quia, inquiunt, unicuique noſtrum quoddam ſidus attributum eſt, cujus nutu proſpero aut infelici regamur. Quare cum dies nomina a ſideribus acceperint, procul dubio cum eorum proprietatibus conveniunt, eandemque bonitatem & malitiam, quam planetæ nanciſcuntur, uſurpant. Verum hæc quam ridicula

sint nuper memoravimus, adeo ut in præsentiarum non opus sit inepta illa repetere. Illud solum nunc addo, dies nomina tantum a planetis derivare, cum iis nihil insit aliud, quod possit diebus communicari, nisi forte superfit quædam proprietas mysterioſi illius numeri, nempe *ſeptem*. Sed hoc myſterium æque ridiculum eſt, ac cetera, quæ pro captu cujusque finguntur. Numerus *novem* mirabilius ſane in ſe myſterium continet. Si enim multiplicetur, ſeu per ſe ipſum, quod quadrare vocant, ſeu per alium, numerus productus rurſus novem efficit: Ille vero qui ſupereſt ad decadem uſque, demonſtrat, quoties novem in numero producto contineatur. v.g. bis 9 efficiunt 18. Adde hos duos numeros, 8 & 1, efficient 9. Ab 18 vero uſque ad decadem 20 ſuperſunt 2. ergo 9 bis continetur in 18. Quadremus 9. Novies 9. efficiunt 81. Adde numerum productum, itidem 9 reddet. Ab 81 vero uſque ad decadem 90 ſuperſunt 9, quæ ſignificant, numerum 9 novies in 81 contineri. Quod ſane mirabile eſt & myſterioſum, quid tamen aliud eſt quam numerus? novem fuit, novem manet. Sic myſterium, quod in tuo *ſeptem* latet,

tet,

tet, inane est. Ergo neque a numero septem dies fortunam suam vindicant. De diebus criticis, qui per septem ab Hippocrate fieri dicuntur, hic non disputo, quod plurimum ab his diebus, de quibus loquimur, differant. Sed redeamus ad planetas, ad quos dies omnia sua accepta referunt, ut tandem vitilitigium tollatur. Dico itaq; a nullo sidere quidquam boni vel mali diebus, neque separatim, neque conjunctim communicari. Non separatim, quia nunquam unum solum sidus, hoc vel illo die apparet, sed singulis diebus, id est, intra viginti quatuor horas omnia simul cum toto universo convolvuntur; adeo ut necessario in nostro semicirculo appareant. Unde Mercurius v. g. non magis die Mercurii apparet, quam die Jovis aut Saturni, quibus itidem eodem modo volvitur. Cur ergo eo die major ejus virtus sit quam alio? non major est profecto suo proprio die quam alieno. Quare neque a sideribus dierum malignitas aut bonitas, neque a re alia quapiam petenda est.

De Veneficiis

CAPVT XIX.

REm arduam explicatuque difficilem ag-

gredior, jocunde lector, atque jam in ipso aditu hæreo, quid potissimum de re certa incertaque constituam; velle enim *rerum admirabilum varietatem, quam cogitatione non comprehendimus*, negare, summæ essent dementiæ diffidentiæque, artes vero magicas, præstigias, incantationes, veneficia, carmina, devotiones statuere, Diis naturæque imperare. Ingens sane utriusque præjudicium, naturæ leges præscribere, geniis autem impune illudere, quasi mortalibus omnia subjicerentur, maxima sua existente vi. Unde mihi *animus vacillat, cui præcipue ex utroque assentiatur.* In monumentis quippe veterum immensa hujusce rei prodigia commemorantur, quæ, si historiæ autoritas quidquam suadet, nimis quam certissimos nos redderent, sublata omni imponendi astutia. Tuccíæ Vestalis incestæ precationem, qua usa aquam in cribro tulit, anno Urbis ıɔ c ıx, diu exstitisse legimus: Numæ item fulminum lustrationem a Satyris edoctam, ut per cepas fieret & crines menidesque pisciculos: Cæsarem dictatorem, post unum ancipitem vehiculi casum, consuesse, ut primum consedisset, carmine ter repetito, itinerum se-

ſecuritatem aucupari: Apionem grammaticum umbras evocaſſe ad percontandum Homerum, qua patria, quibusque parentibus genitus eſſet; non tamen auſum profiteri, quid ſibi reſpondiſſent: Prodidiſſe inſuper herbam cynocephaliam divinam, & quæ contra omnia veneficia valeret: Sed ſi ea erueretur, ſtatim eum, qui eruiſſet, emori. Ut taceam reliqua, quæ infinita ſunt. Solo ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina, & devotiones, & nomen ejus, qui devovebatur, plumbeis tabulis inſculptum, ſemiuſti cineres ac tabe obliti, aliaque maleficia, queis credebant olim animas numinibus infernis ſacrari, paſſim reperiebantur non ſine ingenti ſcelere, ut priſca legenti notum fiet. Quid vero *ætas noſtra* fert melius? *Priſcis* ſane *illis immaniora abſurdioraque fiunt*, adeo ut etiam mortuorum requietem tentent, poſtquam ſacra polluerint. Quot tempeſtatum, domuum, cellarum, ſtabulorum, navium, agrorum, lemurum, geniorum, aliorumque hujusmodi *apud plebejos* luſtrationes reperiuntur, ita ut venales proſtent? Norunt omnes quid quotidie inter vulgus contingat, ſi

quando *miſcueruntque herbas & non innoxia verba*; nam ſtatim *auxilium venit, ac membris agit atra venenum: Atque his ſæpe lupum fieri, & ſe condere ſylvis, ſæpe animas imis excire ſepulchris, atque ſatas alio* dicunt *traducere meſſes*. Ut illa immanis apud Tragicum, in Hercule Oetæo, præſtigiatrix,

Vernare, inquit, *juſſi frigore in medio nemus:*
Miſſumque fulmen ſtare. Concuſſi fretum
Ceſſante vento. Turbidum explicui mare:
Et ſicca tellus fontibus patuit novis.
Habuere motum ſaxa. Diſcuſſi fores.
Umbræ ſtetiſtis. Et mea juſſi prece
Manes loquuntur. Sonuit infernus canis.
Mare, terra, cœlum, & tartarus ſervit mihi.
Nox media ſolem vidit, & noctem dies:
Nihilque leges ac meos cantus tenet.

Hæc quidem *gratis* pro ſcenis *ficta* ſunt, quosdam tamen eſſe accepimus, qui hac noſtra ætate, idque non clanculum, ſed palam fretum ceſſante vento concutiunt, turbidum explicant mare, & fores diſcutiunt, quid ni & vim morborum mortalibus immittant? non enim major eſt moles, morbos quam ventos aut ſimilia promo-

modulo cogere, atque reddere dicto obedientes, cum æque in Physicis, ſut quidem hactenus omnibus viſum eſt, impoſſibile ſit, peſtem, aut febrem malignam, vel alium quemcunque morbum lethalem ſolo neſcio quo ſubmiſſo precationis murmure homini immittere, ac fretum concutere, aut quid aliud incredibilius præſtare. Quare, aut hæc prodigia neganda, aut veneficia, quibus corpora humana variis morborum generibus affliguntur, admittenda ſunt. Illa difficile negantur propter experientiam, hæc facile admittuntur propter poſſibilitatem: Par enim eſt utrorumque poſſibilitas aut impoſſibilitas. Quod vero *nobis ubique ludatur, imponaturque*, eſt ſane quod probes. Si enim hæc in *phantaſiam depravatam*, aut in *humorem melancholicum* rejicias, abſurdior eris, quam ſit ulla imaginatio depravatiſſima, pleniorq; melancholia, quam ferrent duo bajuli. Nam dic, per deos immortales, an nautæ, cum ab ultima Thule aut ulterioribus Scythis, aut alio quocunque loco remotiori, fulminis ocyores alis, ventis adverſis, hyeme maxima, feliciter Amſtelædamum appellunt, ſibi ſolum imaginantur, ſe ita cito

per

per æquora ferri? An venatores, cum intra certos limites beſtias arcent, ut irretiantur, phantaſiam potius venationis ſimilitudine animaliumque formis & imaginibus agunt agitantque? Vel ut rectius dicam, an venatores intra domos occluduntur, eorum vero phantaſia in ſylvis errat aberratque anxia, anhelans, in ſcrutandis veſtigiis, cuniculis, cubilibus, laſſa? Et poſtquam cum præda domum redierint, ac partem aſſam aprugnæ incipiant mandere, iterum ſola phantaſia paſcetur, continuando conceptas elicere imagines, toto reliquo corpore exiſtente inſenſibili immobilique, niſi a laſſitudine laboris exantlati admoneretur fieretque cæſorum animalium aſpectu laborioſæ venationis certiſſimus? Interroga nauticos, vel ipſos nautas, venatores item, aliosque, tibi profecto phantaſiæque tuæ egregie ludent; ſiquidem mox coram affirmabunt, naves certa precatione quocunque vento felicisſime ferri, animalia etiam certo carmine ſiſti atque arceri: Adeo ut compellaris cum tua phantaſia, minus pavere aut horrere, quam *ſi mulier vitulum, ſi vel bos ederet agnum.* Fures, ſi quando equum aut aliud quod-

quodcunque animal abduxerint, cum intra ditionis terminos precatione continentur, adeo ut in itineribus notiſſimis frequentiſſimisque implicentur, an parimentis vertigine agitabuntur, ut fugæ, itineris ſalutisque ſuæ non amplius meminerint? At tum præcipue mens & ratio viget, dictans ſibi eſſe ocyus aufugiendum, ne in furto deprehendantur. Quid ergo nobis in experientiis phantaſiam depravatam objicis? niſi fortaſſe velis, phantaſiam quidem moveri poſſe, id eſt, miras ideas imaginationi precationibus offerri, ſed revera aliquid ex his phantaſiis in actum redigi, abſurdius eſſe quam quid abſurdiſſimum. At dico ego, ſi phantaſia precatione moveatur, ita ut ad has & non alias ideas deflectat, non video ſane, cur voluntas non itidem cogatur, ut, quidquid phantaſia conceperit, in actum ducat, cum voluntas non magis ſit facultas animæ, quam vis imaginatrix, quæ phantaſia dicitur. Unde ſi una facultas animæ ad libitum precantis cogatur, cæteræ quoque cogentur, cum omnes pari ratione ab anima dependeant. Quapropter qui phantaſiam movet, omnes ceteros ſenſus actionesque internas

ternas movebit, ita ut *Vertumnus* deus & *Verticordius* esse videatur. Vide itaque quam inane sit, quod e phantasia in rem præsentem tundere cupiebas, quamque aliter se habeat, quam existimaras, id quod tibi firmo fundamento erat: Sane, præter phantasiam, *causam nostri erroris* quamcunque *aliam* effingas, cum hac nihil possit dari depravatius.

Verum non est quod assertum tuum mirer aut oppugnem, cum in hoc omnes docti pariter & indocti sociatis sententiis conveniant, imo nuper comperi, quæstionem hanc in Academiis sanctioribus (Theologicas vocant) etiam in phantasiam depravatam geniorumque potestatem esse rejectam, assentientibus ultro huic dogmati expertis medicis. Cur ergo solus obgannio? Cur solus obstrepo? Quænam, malum, est illa ingenii mei rabies, quæ magis quam canis naso implicata bilis extumescit efferveſcitque? nulla est profecto. *Sum* quidem *petulanti splene cachinno*, sed quidquid doctiores sanxerint lubens agnosco, cæstusque & arma depono. Colloquia inter populares interque vulgi agmina inita ansam mihi a vulgari opinione dissentiendi

tiendi obtulerunt. Audiebam multos negantes, paucos negata probantes, nisi quod identidem adderent, se ab aliis id didicisse, quod nunc fidenter negatum eunt, ideoque prima bona aut prava sequi, nullis adhibitis rationum *apparentiis* : Satis esse in hujusmodi tricis spissisque tenebris vulgo non videri. Quapropter hæc vulgi opinio penitius introspicienda est, videndumque, an non potius ejus phantasia depravata sit, non autem incantatorum.

Ac primo quidem, ut tandem ad propositum meum veniam, rustici apud nos, quando aliqua parte corporis amburuntur aut vulnerantur, pustulas & cicatricem, butyro aut larido antiquiori leviter illito, precatione sanant. Atque hoc ita frequens est, ut nec chirurgum nec medicum alium, præter seipsos, noverint. Quoties falcem aut bipennem, si se eis læserint, medicamento inungunt aliquot verbis admurmuratis, non autem partem læsam, nihilominus convalescentem ? Quoties infantes aliorum aut paralysi plectunt, aut epilepsia consternunt, aut tabe consumunt? Etiamne tamen effectus melancholicos, & vim phantasticam existimabis? Non equidem

quidem arbitror. Hæc enim ita realiter fiunt, ac sanguis erumpens pari modo sistitur, ut olim in femine Vlyssis. Verum etiamsi hæc non ad phantasiam referantur, tamen intricata manent. Quæretur enim, utrum ambusta & vulnerata sanentur, atque utrum illa quæ narrantur vera sint, cum plerunque clam fiant. Multas quidem fabulas narrari crediderim, sed quæ oculis cernuntur pro fabulis non obtrudentur. Vidi sane rusticos totum genu aqua ferventi ambustos solo nescio quo murmure sanatos: Alios item toto vultu ex pulvere pyrio laceros etiam sine stigmatis belle pelliculam recuperasse. Sed si hæc incredibilia videantur, quid de chartulis, quid de unguento sympathico, quid de ramulo fraxini certo anni tempore unoque ictu abscisso, quid de medicamentariis dixeris, qui etiam suas radices norunt, quarum si partem medicamentis immiscuerint, partem rursus terræ suffoderint, nunquam aut cicatrix coaluerit, aut morbus evanuerit, identidem rebellante malo, *ut quomodo fori tabes præmia advocatis, sic vis morborum pretia medentibus ferat?* Hæc porro satis palam fiunt, adeo ut vix unus aut

aut alter ſit, qui iſta ignoret. Ergo fabulæ non ſunt nec anuum deliria, quamvis has hujuſce artis expertiſſimas velint eſſe magiſtras. Quapropter *veneficia in phantaſiam aut melancholiam rejici non poſſunt.* Alii, quibus eſt cor calidius, hæc portenta ad Genios, Heroas, Manesque mortuorum referunt, quod exiſtiment, nulli enti naturali tantam vim poſſe ineſſe, ut effectus ſuos in omnia ſublunaria extendat, niſi iis ab omni mutatione corruptibilitateque diſcretis. Quo enim ens eſt ſimplicius, eo eſt perfectius atque ad agendum promptius. Unde Manes, Genii, Heroesque plura perficere creduntur, quod nulli ſubjecto neceſſario addicantur atque adhæreſcant, nulla, niſi ſimplici defœcataque, materia compacti. Recte igitur eis quidquid eſt actu difficile attribuitur, velut ad ſola difficilia ſepoſitis; ut, in quibus natura deficit, illi ſuppetias ferant ſuſtententque. Verum, niſi ſcirem hoc ultimum eſſe cauſarum naturalium perfugium, metamque ignorantiæ, ulterius etiam progredi, atque altiora ſcrutari perſuaderem, cum hic non adeo tuta ſint omnia. Si enim quæſtio difficilis eſt, difficilior adhuc efficietur.

Quæram quippe, utrum Genii aut Heroes aut Manes ultro agant ac ſponte, an vero laceſſiti? Si ſponte ac ultro, ergo non in bonum univerſi, ſed in perniciem entia puriora reſervantur, ut invidia mota mortales pro arbitrio plectant, quibus tamen nil niſi bonum pulchrumque ineſt. Si laceſſiti, ergo a præſtantiori moverentur quam ipſimet ſint, cum moventis nutui obedire cogerentur. Sed nullum aliud ens dari poteſt præſtantius quam homo, cui a natura datum eſt proxime Geniorum naturæ accedere. Quare mortales etiam Genios poteſtate agendi ſuperarent; imo Genium quendam arreptum catenisque illigatum, ceu quondam cerberum ab inferis extractum, cœloque noſtro conſpiciendum adductum, pleno meridie, quem tam dire tamen averſantur, velut ludibrii proſtibulum, oſtentarent. Siquidem non potior ratio eſt, cur Genii uno modo cogantur quam alio. Si ergo poſſint ita carmine affici, ut mortalibus noceant, ut peſtes immittant, ut morbos in nos ſpargant, ut occidant, carmine ſane itidem, ceu viſco, capi poterunt, (ut olim in Aventino colle Picus

Fau-

Faunusque ex genere Titanum, a Numa, qui fontem, ex quo bibere consueverant, vino melleque temperarat, capti fuere,) ut deinceps vinculis mancipentur. Ingens sane potestas foret & magna vis agendi, si, ut supra dicebamus, Geniis & Manibus ad libitum leges imponerentur, prostarentque mortalibus irrisui, & quidem tam modis absurdis, ut tripudium pollentæ pullorum non posset esse absurdior. Quis enim credat hemicranio cadaveris, capillis abscissis, unguibus resectis, aciculis in olla coctis, foliis buxi in adipe frixis, Genios, uno aut altero addito murmure, moveri, idque in universi perniciem, ut grandines ruant, ut tonitrua bacchentur, ut segetes jam pene maturæ evanescant, inque steriles avenas loliumque abeant, equi, boves, pecudes, mortales ipsi misera tabe emoriantur? quænam ratio ista credendi adducitur? maligna invidaque natura Geniorum? at licet totus orbis corrueret, nihil tamen proficerent. Frustra ergo ilia rumperent. An vis precationum aut carminum? At quid aliud sunt quam voces semirutæ, verba ridicula, nullo sensu constructa, peregrina, obsoleta? Neque apud

omnes eandem vim obtinent, sed apud alios illos terræque imis degentes præcipue valent, apud eos vero qui lucem & puriorem aera amant, nihil proficiunt. Atque non singuli mortales hoc sanctissimum secretum norunt, sed vetulæ, vultu horribiles, edentulæ, jam curvæ, quadrupedes, beatiores sunt, quæ, prout voluerint, substantiis secretioribus vim immittant, cogantque esse dicto obedientes. Quid igitur est, quod nobis, hæc ita fieri, certo firmiterque comprobet? Nihil sane aliud, nisi vulgo potius credendum sit, quam rationibus philosophicis, ut olim Plato iis potius, quæ a Diotima vate muliere Socrati dicta sunt de diis immortalibus, de anima, de cœlestibus, quam ullis aliis evidentibus rationibus, credebat, rogans alios, ut etiam id præstarent. Mihi vero, cui jam diu contradicendi libido inhæsit, ista non sufficiunt, nec adeo terrent, quin *fidentius affirmem, rationibus philosophicis seu naturalibus, varios morbos hominibus veneficiis immitti posse, nullo modo probari.* De experientiis, utrum fidem desiderent, alii dijudicent. Atque hæc de veneficiis.

De

De Rerum vicisſitudine

CAPVT XX.

FAtone res mortalium & neceſſitate immutabili, an ſorte volvantur, multis in incerto judicium eſt. Quippe diverſos reperies, ac multis inſitam opinionem, *initia finemque noſtri divina quadam ratione gubernari.* Contra alii fatum quidem congruere rebus putant, ſed non e vagis ſtellis, verum apud principia & nexus cauſarum naturalium. Vitæ tamen electionem nobis relinquunt; quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem. Ceterum plurimis mortalium non eximitur, quin primo cujusque ortu ventura deſtinentur, unde vana illa mathematicorum prædicendi ratio effluxit. Quæ, ſi ſecus quam dictæ ſint res cadant, non in artis vanitatem revolvitur, ſed in ignorationem dicentium. Adeo ut quaſi compertum ſit, cunctis rebus ineſſe quendam velut orbem, ut quemadmodum temporum vices, ita morborum vertantur, unde novæ illæ clades, morbi illi incogniti, illuvies nimirum in genitalibus congeſta, (luem veneream vocant) lichenes, varii hydropes, febres variæ,

riæ, exanthemata, aliique fine nomine morbi, non noſtra ætate ſolum, ceu novi recentesque, ſed certis tempeſtatibus, certisque regionibus jam graſſati ad nos orbe revoluto redeant, rurſusque poſt aliquot tempora diſcedant. Ego vero, quamquam in his judicem agere ſit difficile, ſi lis penes me conſtituatur, viciſſitudinem quidem rerum corruptibilium, *fatum* autem, vel neceſſitatem in univerſo *non admiſerim*, quod hæc duo præſtantiæ Entis ſimplicis & ſupremi, bonoque univerſi repugnent.

Primum quidem rationibus philoſophicis, nam a ſacris abſtinemus, ſi non probabitur, ſaltem perſuadebitur. Quippe apud omnes conceſſum eſt, omnia apud cauſam primam, atque apud Ens ſupremum eſſe atque referri, ceu a conſervante dependentia: Quæ vero ita ad cauſam primam referuntur, ut ab ea dependeant, nihil aliunde conſtitutum habent, ut ſecundum id quod decretum eſt agant aut patiantur, niſi *nutum & voluntatem conſervantis*. Quæ ſane *voluntas* nihil in ſe aut fati aut neceſſitatis includit, ſeu ad ſe, quia ens primum libere agit, a nullo alio ad certum quiddam determinatum, ut ita, quidquid agit, neceſ-

neceſſario agat, cum ideo ſit primum, quod à nullo alio regatur. Unde placitum quorundam philoſophorum, qui Ens ſupremum neceſſario circa conſervationem rerum caducarum, motumq; cœleſtium occupari, conſtituunt, prorſus evertitur, eo quod nihil detur prius aut majus, a quo cogeretur; quia coactio, ſeu determinatio eſt ab alio, ut eſt in ſcholæ terminis. Ergo quidquid Ens ſupremum agit, non neceſſario agit, ſed libere: Ideo enim agit quia vult, non quia cogitur. Adde quod libere agere multo præſtantius ſit quam neceſſario: Id vero quod præſtantius eſt Enti primo convenit quarto modo, ergo quantum ad ſe non neceſſitate, ſed voluntate agit. Non ad ſubjecta, quia ſi mortalibus, ſeu rebus caducis certum agendi modum, ita ut non aliter agere poſſent, conſtitueret, poteſtatem ſuam *ad extra* limitaret, eo quod decretum immutare non liceret. Repugnat autem Enti liberrimo decretum abſolutum, quale eſſet, ſi v. g. Terentius non prima aut ſecunda, ſed tertia aut quarta febri maligna periret. Certe non poterat prima vice emori, quia quarta ſtatuta erat, etiamſi Enti primo aliter ſtatuendum

videretur, cum ſibi ipſi decreto illo facto leges impoſuiſſet. Ergo neque ad ſubjecta neceſſitate agit.

Secundum vero, quantum ad bonum univerſi, ex primo colligitur. Ut enim cauſæ primæ convenit libere agere, ita rebus caducis convenit libere modoque æquabili gubernari. Melius quippe eſt nutui conſervatoris libero ſubjici, quam fato & neceſſitate ferri, cum neceſſitas quamcunque conſervationem neget. Siquidem gubernatione non indiget quod neceſſitate movetur. Quare alterutrum negandum eſt, aut conſervatio univerſi, aut neceſſitas fati. Sed corruptibilia æquabili ratione gubernari non ſolum percipimus ſed & videmus. Ubi enim neceſſitas ſe prodit? Non in concinnitate, in qua potiſſimum apparet quædam conſervatoris induſtria, ut ſimilia & diſſimilia inter ſe conveniant. Neque in corruptione, cum nihil in orbe pereat, ſed ſolum immutetur & diſſolvatur. Quod autem ita perit aut corrumpitur, ut ſemper reſarciatur, nulli ſane neceſſitati antecedenti ſubjicitur, cum potius pereunti ex hac neceſſitate omnino annihilari, non reſtitui, neceſſe foret. Ergo

go nullo modo in rebus caducis fatum aut neceſſitas admittitur.

Objicies: Quando quis ægrotat, idque ad extremum uſque, ſeu medicum vocet ſeu non vocet, ſæpenumero tamen convaleſcit; aut, etiamſi vocarit, tamen emoritur: Ergo ſtatutum fixumque erat, ut, quidquid egiſſet, moreretur, cum æque ſine medico, ac cum eo æger convaleſcat atque emoriatur. Signum manifeſtum, non apud curam mortalium, ſed apud fati neceſſitatem res humanas conſtitui. Reſpondeo, ægrotum, ſeu medicus adſit ſeu non adſit, ex effectibus variis cauſarum inter ſe connexarum, quæ morbum efficiebant, emori, non autem ex decreto aut determinatione, ut hoc morbo & non alio, hoc die & non alio periret. Si enim cauſis primis ſeu procatarcticis obſtitiſſet, morbus ſane non ita auctus fuiſſet, neque tot cauſæ concurriſſent, ex quarum effectis, quia eis amplius reſiſti non poterat, mors neceſſario ſecuta eſt, non autem ex fato inevitabili. Fateor equidem, neceſſario dum aliquis emoritur mori, neceſſitate tamen conſequenti, non autem antecedenti; id eſt non ex fatali conſtitutione, ſed ex cau-

sis concurrentibus, ex quibus necessarii sequuntur effectus. Sic dum de fatali necessitate disputo, necessario de ea disputo, non tamen necessarium erat, antequam inciperem, ut de fato disputarem, poteram enim ultro has ineptias omittere.

Verum quidquid dicamus non propterea *vulgus* corrigitur, imo quasi universi mortales, qui adeo *fatum* seu decretum *moriendi aut vivendi tempus certum credunt*, ut ne pharmacum aut medicum noverint, summis cruciatibus, quibus tamen facile mederemur, moriendi horulam exspectent, exigantque misere ultimum vitæ momentum. Quando vero ita infeliciter pereunt, sane non ratione fati, sed propriæ incuriæ negligentiæque moriuntur, vitæ aut graves aut desides. Certum quidem est sæpenumero medicamenta remediaq; frustra tentari, sed haud frustra tentarentur, si principiis caveremus, nempe *excessibus*, qui plane *sunt* illud *immensum mortalium fatum*, cui hodie totus pene orbis subjicitur. Quam egregie fatum superaretur, si *alia vitæ* iniremus *moderamenta*! quam nullus Acheruntis strepitus, si in his *tandem sapere* inciperemus! Detur fatum,

detur

detur neceſſitas, quid mortalibus ex hoc accidet incommodi? vitæ humanæ, inquis, cura tollitur, variorum morborum apprehenſio incutitur, quibus nulli fas ſit, propter illud fatum inevitabile, reſiſtere, unde extremum omnium malorum, nempe mors, ſequetur. Enimvero hoc tam ingens malum eſt, ut illi cedere oporteat? An quia ſtatutum eſt ſemel emori, ideo omnis noſtræ ſalutis cura abjicienda? ideone in morbis medicus non accerſendus? ideone medicinæ negligendæ? nequaquaquam profecto, ſi ſapimus, cum ſic fatum fato, neceſſitatemque neceſſitati imponamus. Quid enim aliud agimus, cum curam noſtri gerimus, niſi quod fatum ſiſtimus, neceſſitatem ſolvimus? Cum quis fiſtula exploſoria, aut alia re quacunque transverberatur, vita ejus in fatis eſt, & neceſſario moritur: Sed ſi medicus cum chirurgo accedant, vulnus curent, ſanguinem ſiſtant, medicamenta ſubminiſtrent, nonne dirum illud fatum terribilisque moriendi neceſſitas immutatur? Ergo ſolum fatum aut neceſſitas fuiſſet quia voluiſſes: Poteras namque medicamenta negligere, ſicque neceſſario emori. Vide itaque, fatum

tum tam horribile nihil aliud esse quam *vitæ* tuæ *incuriam*, cum facile, si in morbis rite & medico & remediis opportunis utaris, superari possit. Quapropter quisquis hactenus ita fato & necessitati te credideras, ut *regimen vitæ* nihil æstimares, nil sanitatem curares, tandem concupiscentiis illecebrisque fias satur: Non te alea decoquat, non sis in Venerem putris, rerum humanarum necessitatem mittas, valetudinem cures, ne tibi ipsi vitæ brevioris fatum fias, aut saltem morbis conflictatus misere vivas, ita ut singulis pene momentis fatum voces, mortemque ob vitæ acerbitatem assiduo exoptes. Nec te deterreat illa immutatio quam mortem vocant, ut ideo in vita carpas dulcia post cineres nihil futurus. Quid enim aliud mors est, quam nostræ compagis solutio, quam partium unitarum dissociatio, quam nostri, particulatim quidem, continuatio, & existentia? Quocunq; singulæ substantiæ abeant, non quidem conjunctæ, sed dispersæ vivunt; quibus si daretur, ut rursus conglutinarentur, eædem sane, non minores nec majores, non meliores aut pejores redirent, mox in eandem compagem,

gem, qua modo uniebamur, coalituræ. Quid ergo lugemus? Certe hoc non eſt quod palleas, nec eſt cur quis non prandeat, aut ſine uncto cœnet, cum nihil magis in morte timendum ſit quam in ortu: Naſcentes morimur, finisque ab origine pendet. Nec major eſt moles, ut ſubſtantiæ rerumque ideæ ad hanc ſceleratam pulpam componendam accedant, quam ut ea diſſoluta diſcedant. Singulis etiam momentis imminuimur, ſemperque aliquid in nobis deperit, nec tamen animadvertimus, aut dolemus: cur ergo, cum ad partes ultimas imminuendas ventum eſt, doleamus? An ideo quia primum mors incipit, quaſi in hoc momento conſiſteret? An æqualis eſt partium priorum aut poſteriorum diſcedentium diſſolutio; quæ quia cum incipit non timetur, non eſt cur ſub finem timeatur. Quam *pacate vivunt ſapientes, qui fatum mortemque & omnem ſtrepitum rident!* Quis eo beatior videbitur,

Qui tuto poſitus loco
Intra ſe videt omnia
Occurritque ſuo libens
Fato: Nec queritur mori?

Caſus omnes recta ratione, ægritudines ſolli-

sollicitudine & cura levat, mortis vero fatum aut superat aut eludit. Sic, inquam, non amplius *sanitatem nostram*, propter ægrotandi aut moriendi necessitatem, negligamus, sed *sedulo curemus ut valeamus.*

Libri peroratio.

HÆc quidem sunt, jocunde Lector, quæ mihi de sanitate conservanda dicenda proposueram; quam vero inepte, quam stupide, imo quam insulse pertractarim, satis animadvertis, tum incondita miscendo, tum multa præter rem & propositum accumulando: Nunc tamen te benignum velim, atque ad mentem meam intelligendam attentum. Pleraque sunt, fateor, quæ nihil prorsus ad sanitatem conducunt: Qualia sunt, definitio sanitatis, de calore naturali, an sidera in nos agant, de diebus fortunatis, de rerum vicissitudine, &c. quæ, inquam, quomodocunque se habuerint, ut quidem vulgo videtur, nihil ad sanitatem conferunt. Sed quoniam prius sciendum est quid sit sanitas, quam conservetur, huic tractatui definitionem præmisi-

miſimus : Et quia ſanitas potiſſimum in calore naturali conſiſtit, recte a definitione ſanitatis ad hanc quæſtionem exponendam oratio mea proceſſit: Calor vero naturalis elementaris dicebatur, nihil commune habens cum aſtris aut cœleſtibus, quocirca mox caput iſtud conjunximus, ut poſitis quibusdam quaſi fundamentis melius hactenus ea, quæ ab elementis fieri dicuntur, tractaremus, ne mortales ab aſtronomis, quantum ad ſanitatem, toties deciperentur, nugis illis vanisque prædictionibus ita firmiter aſſentientes, ut cetera negligerent. Atque ob hanc cauſam ſub finem quædam de dierum felicitate, de veneficiis aliisque addidimus, ne pari modo his ludibriis decepti remedia opportuna projicerent, ineptasque anuum & ceterorum delirantium fabulas ſequerentur, quaſi medicamenta nihil proficerent, propter dies benignos aut malignos, hominum veneficia, Geniorum vim inſuperabilem, neceſſitatem inevitabilem: Quæ quam inania ſint, facile dijudicabis. Adeo ut videas, me potiſſimum ſtuduiſſe, ut naturalia tractarem, miſſis rebus ſacris, ſeu ſupernaturalibus, quæ ad rem noſtram non

non faciebant, atque pro modulo meo confeci, ut viderent omnes atque perciperent, *ſanitatem a nobis ipſis potiſſimum oriri, cum ea in poteſtate noſtra ſint, quibus ſanitas conſervatur.* Quæ cum ita ſint, *ſi mortales ſæpenumero ægrotent, ſeipſos ſanè culpent, quod valetudinem non curent*, cum jam non in ſideribus, aut alia quacunque re abſurdiori, ſed in rebus naturalibus ſalus & ſanitas, quantum quidem ad corpus, quærenda ſit, ut ſane beateque vivamus. Quod ſi nugas meas faſtidias, hæc ſaltem præcepta rhythmica ex iis, quæ in ſchola Salernitana traduntur, excerpta accipias, ne impaſtus a me diſcedas.

1. *TE conſumpturas prægrandes* tollito curas.
Iraſci dubites, *quæ ſunt turbantia vites.*
Sic ut cœna brevis, *tibi ſit* moderatio *quævis:*
Ligurito merum; nimium, res peſſima *rerum.*
Inſomnis degas paulum poſt prandia, pergas;
Ventrem *conſtrictum ne ſerva*; ſolvito *mictum:*
Hæc ſi præſtabis, vitam ſine fine parabis.
2. *Res tibi* ſurgenti *ſit prima*, lavare *recenti*
Lumi-

Lumina, *poſtque* manus; *& ſit mos quotti-*
dianus.
Dens ne flaveſcat, vel ne gingiva putreſcat,
Elue *lentorem, ſolves ſic ſæpe dolorem.*
Vis ſervare comas? paſſas fac pectine *comas:*
Mollius exertos ſed poſt extende lacertos,
Segnitiemque leva greſſu: *Non ſit via ſæva.*
3. Somno parce meri *cum venerit hora*
diei,
Ne te corripiat febris, vel * *fluxio fiat.*
* Catarrhus.
4. *Sunt* mala, *quæ* vento *fiunt, permagna,*
retento:
Tympanon hinc, ſpaſmus, vertigo, colica, fimus.
5. Mundus, *non teter, ſit rite habitabilis* aer:
Infectus ſpurcæ non ſit fœtore cloacæ.
6. *Primo digeſto, ſtomacho poſcente, comeſto;*
Ante, cibum nunquam fas eſt abſumere cui-
quam:
Et comedas exin ſtomachus cum ſentit orexin.
Signum derivant quod fauces inde ſalivant.
7. *Temporibus veris modicum prandere*
juberis:
Et calor æſtatis dapibus nocet immode-
ratis.
Autumni fructus caveas, *ne ſint tibi luctus.*
Convenit at ſummæ plus ſumere tempore bru-
mæ.

8. Inter prandendum *ſit* ſæpe parumque bi-
bendum:
Et cum pranſus *abis*, *duo præſtas quando* lavabis:
Fiet munda cutis, *radiis ſpectabis acutis.*
Pranſe vel i, vel ſta, *calidus poſt balnea perſta.*
9. *Dum comedis* lymphis parcas, *has cedito*
Nymphis:
Hinc etenim venter friget, *ſit phlegma frequenter.*
10. *Ex* nimia cœna *ſtomacho ſit maxima* pœna:
Tollere ſi pœnam cupias, *moderabere cœnam.*
Si nocet heſterna nimium potatio cœnæ,
Hoc confert ſane, *ſi ſumas pocula mane.*
11. *Si menſis pones* panem, *fac conditiones*
Has habeat: purus, tenuis, non *tempore* durus;
Sit fermentatus, *coctus*, *ſine fraude paratus*,
Sit ſale conditus, *pura de meſſe*, *politus*:
Hunc ſi manduces vitæ tua ſtamina duces.
12. Ovum *ſat reficit vulgus quod* ſorbile *dicit*:
Si cibus ovorum tibi ſit, *memor eſto novorum.*
13. *Sat* vitulina caro nutrit, *ſit peſſima raro.*
14. *Sus medicina datur*, *ſi vino menſa paratur*:
Phaſiades, *perdix*, *ſimul ortygometra*, *coturnix*,
Cum merulaque capo: *Fert hæc rariſſima caupo*,
Cum tamen & bona *ſint*, *ac ægris* undique pro-
ſint.
16. Ovis *pingueſcunt*, *offis abdomina creſcunt.*
Ex ſimila *panis* nutrit, *rubicundaque ſanis*
Vina *fovent robur*; *gracili jus pingue debetur.*
17. *Caſeus impinguat cum lacte*, *huic namque pro-
pinquat*,
Et cerebella quidem, *ſed facta cupedia pridem*:
Lingu-

Lingula, teſticuli, cum glande, medullula, culi,
Victus ſunt agris, ſed nunc infeſta podagris.
18. *Cum* pilces *molles fuerint, quæ corpore tolles*
Magno: ſi duri, parvi ſunt plus valituri.
19. *Caſeus humorum, pyra, lac, ſunt* cauſa malorum:
Pomaque, ſalſa caro ſucco quæ gaudet amaro,
Et cum cervina leporina, caprina, bovina:
Quippe, nec exilem, cumulant in corpore bilem.
20. *Nux cum theriaca, pyra, ruta, vel allia ſicca,*
Omne quod eſt hominum poſſunt ſanare venenum.
21. *Venter ſtipatur nimium ſiquando bibatur*
Vinum quod rubrum eſt, voci non undique prodeſt.
22. *Regula* * *divini tibi ſit certiſſima* vini:
* optimi.
Clarum, ſplendeſcens, ſapidum, candore niteſcens:
Hoc valet ad guſtum generoſum, mite, vetuſtum.
23. *Vinum pejores ſi pejus, ſin, meliores*
Progignit ſuccos, ſcit pravos tollere mucos.
Sit vetus & clarum, ſapidum, ſubtile, maturum.
24. Cervilia *craſſa ventris ſit maxima maſſa:*
Semper dulceſcat, *nunquam ſapor ejus aceſcat.*
Si bona grana ſient, gratiſſima pocula ſient, &c.

FINIS.

INDEX CAPITVM

Cap. I. QVid sit, & in quo consistat sanitas.

II. De calore naturali, seu calido innato.

III. Utrum corpora humana a cœlestibus afficiantur, ut volunt Astronomi.

IV. De Aere.

V. De Aere Pestilenti.

VI. De Cibo.

VII. De Inedia.

IIX. De Potu.

IX. De Motu.

X. De Quiete.

XI. De Somno.

XII. De Vigilia.

XIII. De Excretis.

XIV. De Venere.

XV. De Retentis.

XVI. De Animi affectibus.

XVII. De Quatuor anni temporibus.

XIIX. De Diebus fortunatis.

XIX. De Veneficiis.

XX. De Rerum vicissitudine.

325.